QUAESTIONUM DE LYSIAE ORATIONE EPICRATEA (XXVII) CAPITA DUO.

DISSERTATIO

PHILOLOGICA INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

IOANNES MARTINUS HENTSCHEL

PULSNICENSIS.

MISENAE

TYPIS C. E. KLINKICHTII ET FIL.

MDCCCLXXIV.

VIRO
DOCTISSIMO HUMANISSIMO

IUSTO HERMANNO LIPSIO

RECTORI
GYMNASII NICOLAITANI LIPSIENSIS
MERITISSIMO

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

Orationes Lysiacas cum veteres quadringentas viginti quinque statuerent, Dionysius autem Halicarnassensis ducentas triginta tantum genuinas iudicaret[1]), nos omnino triginta quattuor — ac ne illas quidem integras et plenas — superstites habemus. Quod quidem in tanta Lysiae dicendi suavitate[2]) et argumentorum gravitate[3]) certe aegre ferendum est; tamen cum fieri non possit, quin ars critica ad superstites illas adhibeatur, multo etiam graviorem nos fecisse iacturam intellegemus. Etenim nonnullae superstitum illarum orationum iam veteribus criticis suspectae videbantur, ut oratio IX, X, XIV, XV, XXIV, XXX[4]); iam vero haud pauci viri docti nostrae aetatis, qui studia sua cogitationesque in Lysiae orationibus tractandis collocavere[5]); magna sagacitate et industria complures illarum orationum spurias iudicandas esse demonstraverunt nec minus reliquas et interpolationibus corruptas et lacunis refertas esse exposuere. Ita omnes fere ad unum interpretes orationem sextam contra Andocidem habitam, quae sub Lysiae nomine nobis tradita est, non revera Lysiacam, sed ab oratore Lysiae aequali scriptam esse iudicant[6]); praeterea etiam orationes II, XI, XX Lysiae suppositas esse a viris doctis

---

1) Plut. vita X orat. p. 137. *φέρονται δ' αὐτοῦ λόγοι τετρακόσιοι εἴκοσι πέντε· τούτων γνησίους φασὶν οἱ περὶ Διονύσιον καὶ Καικίλιον εἶναι διακοσίους τριάκοντα (τρεῖς)* hoc verbum e Photio additum. Blass Gesch. der att. Beredtsk. p. 345. sq. Francken Comm. Lysiac. p. 19.

2) Cic. Brut. § 35 Orat. § 29 § 226.

3) Renner Comm. Lysiacarum capita duo Goettingae 1869 pag. 1 sq.

4) Harpocr. lexic. ad X. orat. Blass l. c. pag. 348 ff.

5) imprimis Hoelscher, Scheibe, Francken, Hamaker, Blass etc.

6) Iam Harpocr. suspecta; (habet bis *εἰ γνήσιος*) etiam Ruhnkenio et Sluitero: Hoelscher de vita et scriptis Lys. p. 56 sq. Foertsch. Com. critica Lips. 1829. Francken pag. 43—53. Blass. pag. 576. Franz de Lysia p. 8—10 hanc orationem genuinam esse probare studet.

elaboratum est[1]). Sed tota haec lis nondum prorsus disceptata est et in dies fere dissertationes in lucem prodeunt, quibus viri docti num singulae orationes genuinae sint necne excutere student. Ita de oratione VIII ut suspecta Pertzius in programmate scholastico[2]) egit; nuperrime de oratione XVIII Godoholdus Sachse[3]), de XX Walterus Parovius[4]) et Carolus Fraenkel[5]) dissertationibus academicis disputaverunt, neque vero omnes orationes pariter tractatae sunt[6]). Itaque virorum illorum exemplum secutus, cum ad orationes intellegendas aliquid pro virili parte afferre in animo habeam, de oratione vicesima septima in Epicratem habita nunc hac dissertatione pauca exponam. Quamvis enim haec oratio veteribus criticis nullam moverit dubitationem, nostrae tamen aetatis vir doctus Franckenius in libro, qui „Commentationes Lysiacae" inscribitur[7]), a Lysia prorsus eam abiudicavit; videtur autem sic instituisse argumentationem, ut nonnumquam res non e veterum sed e sua ipsius mente diiudicaret, ita quidem ut quae sibi displicerent, veteribus indigna esse existimaret. Ceterum cautius mihi videtur iudicare qui, ubi veterum iudicium omnino non exstat, nullam suspitionis adesse causam arbitratur, nisi forte gravissima argumenta atque ad persuadendum validissima accedunt[8]). Franckenii vero argumentationem non tam conclusam et tam certis causis firmisque momentis munitam esse demonstrabo, quin aliis argumentis et gravissimis quidem, quae obstant, queat labefactari. Neque vero solum Franckenii, sed ceterorum quoque hominum doctorum sententiae de illa oratione respiciendae sunt, imprimis Hoelscheri, Foertschii, Scheibii, Blassii, Hamakeri[9]). Horum igitur sen-

1) Blass pag. 436 ff.; 613, pag. 506 ff.
2) Clausthal 1862.
3) diss. inaug. Halis 1873.
4) dissert. inaug. Halis 1870.
5) dissertat. inaug. Berolini 1869.
6) De or. VIII etiam egit Kirchner progr. Demmin 1869 De or. XXVII in Epicratem peculiarem dissertationem scribere voluit Moritz Herm. Eduard Meier cfr. de bonis damnatorum pag. 177. nota 57; cf. Foertsch. Comm. critic.
7) Traiecti ad Rhenum 1865.
8) Ut monuit Welkerus in Mus. Rhen. 1834 p. 400 de fragmento orationis Lysiacae in Aeschinem Socraticum.
9) Quaestiones de nonnullis Lysiae orationibus Lugd. Bat. 1843.

tentiis undique collectis argumenta, quibus illi nisi sunt, exponam ac diiudicabo, sed ita tamen instituam disputationem, ut libellum illum Franckenii quasi fundamentum opusculo meo subiungam, ne in uberrimis de hac oratione controversiis ratio me quaedam ac via disputandi deficiat. Atque ut ab orationis argumento tota proficiscatur disputatio, capite priore de persona Epicratis mihi agendum erit: quo quae de vita et tempore, imprimis de accusatione eius et a veteribus scriptoribus tradita et a recentioribus criticis coniecta sunt, afferam atque indagabo. Altero deinde capite de ipsa Lysiae oratione critice existumandum erit, num omnino rationi, qua Lysias in dicendo solet uti, convenire videatur, num e pluribus fragmentis conflata sit, denique num ἐπίλογος sit, an pro aliqua prioris orationis parte potius haberi debeat.

CAPUT I.

De persona „Ἐπικράτους“ multum inter se discrepant hominum doctorum sententiae, utrum unus illis temporibus an plures, quibus nomen illud fuerit, homines sint statuendi. Inter oratores enim illius temporis aequales et Lysias et Demosthenes Epicratis cuiusdam mentionem faciunt, qui viri utrum sint diversi, an unus atque idem, nondum satis liquido constat; respiciamus igitur locos quibus nomen illud *Ἐπικράτους* invenitur, ut rem illam obscuram enucleare conemur. Veterum autem scriptorum loci sunt hice:

Demosthenis orationis de falsa legatione habitae [XIX] §us 276: *Κατὰ τοῦτο τὸ ψήφισμα τῶν πρέσβεων ἐκείνων ὑμεῖς θάνατον κατέγνωτε, ὧν εἷς ἦν Ἐπικράτης, ἀνὴρ ὡς ἐγὼ τῶν πρεσβυτέρων ἀκούω σπουδαῖος καὶ πολλὰ χρήσιμος τῇ πόλει καὶ τῶν ἐκ Πειραιῶς καταγαγόντων τὸν δῆμον καὶ ἄλλως δημοτικός* et sequenti paragrapho [280]: *ὑπομενεῖτε τὸν μὲν εὐεργέτην καὶ τὸν ἐκ Πειραιῶς Ἐπικράτην ἐκπεσεῖν καὶ κολασθῆναι;* Epicrates cum sociis legationis capite damnatus est, quod legatus contra populi iussa egisset, falsa renuntiasset, socios per calumniam accusavisset, dona accepisset [1]; sed cum urbe eum expulsum esse orator dicat, supplicium illud de eo non sumptum esse videtur. Quae quidem accusatio multo ante annum 343, quo anno Demosthenis de falsa legatione habita est oratio [2], facta est, quod orator dicit: §o 277 *ὡς ἐγὼ τῶν π ρ ε σ β υ τ έ ρ ω ν ἀκούω* et §o 280 *καί τινες αὐτῶν ἔ τ ι ζ ῶ ν τ ε ς.*

---

1) § 278 et § 279.

2) E. Curtius histor. graeca. vol. III p. 652.

In orationis Demosthenis XXIVae in Timocratem habitae §o 27 *ψήφισμα* invenitur, quod Epicrates quidam tulit[1]), illud tamen falsarii esse opusculum luculenter Westermannus[2]) docuit, quapropter nullam ei fidem tribuimus.

Inter poetas illius aetatis scenicos Aristophanes Ecclesiazusarum versu 71 Epicrati propter magnam barbam (*πώγων*) irridet his fere verbis:

„*Κἄγωγ' Ἐπικράτους οὐκ ὀλίγῳ καλλίονα*" *κτλ.*

ad haec autem veteris enarratoris verba conferenda sunt[3]). — Similiter Plato comicus ait:

„*ὑπήνης Ἐπίκρατες σακεσφόρε*"[4]) apud Athen. VI p. 229. Etiam Harpocratio in lexico in X. orat. sub voce *Ἐπικράτης* explicat: *ὁ τῶν Ἀθηναίων δημαγωγὸς, ὁ σακεσφόρος* [non *σκευοφόρος* cf. Dindorf ad Harp. vol. II p. 239] *ἐπικαλούμενος, οὗ μνημονεύει καὶ Δημοσθένης*[5]) *ἐν τῷ περὶ τῆς πρεσβείας*, sed alium esse hominem eiusdem nominis apud Lycurgum *ἐν τῷ περὶ διοικήσεως*, alium etiam Aeschinis socerum, *Κυρηβίων·* nominatum ille refert. — Anno 396 vel initio anni 395 cum Artaxerxes Persarum rex civitates Graeciae ad bellum contra Lacedaemonios adduceret corruptionibus, etiam Epicrates e Pausaniae[6])

---

1) Hic Epicrates in ceteris codicibus Σ, Fr, *v.* nominatur Timocrates.

2) Abhandlungen der königl. sächs. Gesellsch. d. Wissensch. hist.-phil. Klasse 1850 Bd. I pag. 3. Nota ad hanc paginam scripta Westermannus nomen illud Epicratis omnibus temporibus in Graecia non rarum fuisse demonstrat, cum locos quibus nomen illud invenitur et e scriptoribus et ex inscriptionibus accurate colligat. Hic sufficiat afferre locos e corpore inscriptionum graecarum decerptos: Corp. Insc. Gr. ed. Boeckh no. 158 (p. 252) „*Ἐπικράτης Μενεστράτου Παλληνεύς*"; quo tempore vixerit incertum est. Sievers hist. graec. Kiel 1840. pag. 110 hunc in annum 377 a Chr. refert. — Corp. Insc. Gr. No. 115. pag. 157. (versu X) *Ἐπὶ τῆς δω* [*δε*] *κάτης πρυτανείας* etc. nominatur Ep. *Αἰθαλίδης* anno Olymp. 123, 2 archonte Eubulo. — Corp. Insc. No. 183, 2 — Corp. Inscr. No. 110 (p. 152) versu nono *Ἐπικράτης* archonte Lysithide, quo anno dubium. Nomen etiam postea inveniebatur Romanorum temporibus, quod nihil ad rem nostram cfr. notam Westermanni pag. 3.

3) *οὗτος εἰς δασύτητα ἐκωμῳδεῖτο. ἦν δὲ ῥήτωρ καὶ δημαγωγὸς οὗτος μέγαν πώγωνα ἔχων, ἐκαλεῖτο Σακεσφόρος.* cf. Scholia Aristoph. ed. Dübner p. 316.

4) Harp. dicit Isaei Epicr. „Ephorum" cognominatum esse; sed coniecit Dindorf *σακεσφόρος* pro *ὁ καὶ Ἔφορος.*

5) praeter Isaeum *περὶ τῶν ἐν Μακεδονίᾳ ῥηθέντων* cfr. Meinecke quaest. scen. II. p. 23.

6) *περιήγησις τῆς Ἑλλάδος* III, 9, 4.

narratione accepit pecuniam: *ἄνδρα οὖν Ῥόδιον ἐς τὴν Ἑλλάδα πέμπει* (scil. Tithranstes) *χρήματα ἄγοντα, ἐντειλάμενος πόλεμον ἐν τῇ Ἑλλάδι ἐργάσασθαι Λακεδαιμονίοις· οἱ δὲ τῶν χρημάτων μεταλαβόντες Ἀργείων μὲν Κύλων τε εἶναι λέγονται καὶ Σωδάμας, ἐν Θήβαις δὲ Ἀνδροκλείδης καὶ Ἰσμηνίας καὶ Ἀμφίθεμις, μετέσχε δὲ καὶ Ἀθηναῖος Κέφαλος καὶ Ἐπικράτης.* Sed vix vera retulisse Pausaniam, neque tum Epicratem pecuniam accepisse iure et Ernestus Curtius[1]) et Sievers[2]) statuerunt. Illa enim, quae Pausanias narrat, plane repugnant verbis Xenophontis in Hellenicorum libro tertio [cap. 5, 2]: *Ἀθηναῖοι δὲ καὶ οὐ μεταλαβόντες τούτου τοῦ χρυσίου, ὅμως πρόθυμοι ἦσαν ἐς τὸν πόλεμον.* Sine ullo autem dubio hac de re Xenophonti maior fides tribuenda est, quam Pausaniae: nam Xenophon, cum satis constet hunc scriptorem Spartae laudatorem, Athenarum obtrectatorem[3]) fuisse, qui tandem, si Athenienses re vera pecuniam accepissent, id omittere potuisset!

Maiore vero fide digna videtur narratio Plutarchi, quam de Epicrate invenimus in vitae Pelopidae capite tricesimo[4]): „*ἀλλ' ἔοικεν οὐχ ἡ δωροδοκία μάλιστα παροξῦναι τοὺς Ἀθηναίους· Ἐπικράτους γοῦν ποτε τοῦ σακεσφόρου μήτε ἀρνουμένου δῶρα δέξασθαι παρὰ βασιλέως ψήφισμά τε γράφειν φάσκοντος ἀντὶ τῶν ἐννέα ἀρχόντων χειροτονεῖσθαι κατ' ἐνιαυτὸν ἐννέα πρέσβεις πρὸς βασιλέα τῶν δημοτικῶν καὶ πενήτων, ὅπως λαμβάνοντες εὐπορῶσιν — ἐγέλασεν ὁ δῆμος.* Similia commemorat Athenaeus VI, p. 229 et libro VI, p. 251, addit autem loco priore: „*θαυμάζω δ' ἔγωγε τῶν Ἀθηναίων πῶς τοῦτον μὲν ἄκριτον εἴασαν, Δημάδην δὲ ί ταλάντοις ἐζημίωσαν, ὅτι θεὸν εἰσηγήσατο Ἀλέξανδρον* etc. Miratur etiam Dindorfius id dici a Plutarcho cum Demosthenes orationis de falsa legatione ad finem (XIX, § 279) hunc Epicratem una cum ceteris legatis capite damnatum esse scribat ab Atheniensibus. Valde inter se illa scriptorum testimonia differunt atque nisi statuimus aliam esse legationem de qua Plutarchus, aliam de qua Demosthenes loquatur, vix ea posse componi

---

1) III, p. 214.
2) pag. 63.
3) Renner quaest. Lysiac. capita duo Gottingae 1869 pag 8. Niebuhrius ait Xenophonte peiorem civem non habuisse Athenas.
4) cf. W. Wachsmuth. hell. Alterthmsk. I. 2. p. 280.

opinor. Franckenius Batavus ille refert illam Plutarchi narrationem ad paragraphum nostrae orationis quartam, in qua et *δῶρα* commemorantur et reus absolutus esse traditur. Magnam quidem in hac re admodum obscura probabilitatem habet Franckenii coniectura, sed tamen mirum in modum Plutarchi, ut ita dicam „narratiuncula" abhorret a verbis Demosthenis, cuius testimonium primaria debet esse auctoritate. Etenim Epicratem propter legationem male administratam capitis damnatum esse liquido apparet. Quae cum ita sint, cum Franckenio statuendum erit, Epicratem b i s accusatum esse; in priore causa absolutum, in posteriore autem condemnatum eum esse nihil obstat, quominus putemus. In altera autem causa Lysiae illa oratio habita esse falso adhuc credebatur, quod paullo infra demonstrabimus. —

Iam vero indagare nos oportet utrum omnia illa, quae veteres scriptores de Epicrate tradiderint ad unum hominem possint referri, an duos illius nominis viros illo tempore aequales vixisse verisimilius sit. Quod cum faciamus, primum quae viri docti de illa re cogitaverint atque exposuerint, praemittere liceat. Carolus Scheibe in vindiciis Lysiacis[1]) contra Hamakeri opusculum scriptis personam Epicratis ipsam omnino non attingit. Hamakerus vero[2]), quoad e verbis eius potest perspici, unum fuisse Epicratem statuere videtur, tamen haesit in eo, quod Demosthenes illum virum *σπουδαῖον πολλὰ χρήσιμον τῇ πόλει* civem collaudat, Lysias autem in hac oratione hominem nequissimum eum obiurgat. Ita putat Epicratem reum iudicum oculos in facta et beneficia sua priora in rem publicam collata convertisse, et cum fuerit accusatoris illa rei argumenta refellere, Hamakerus haec suspicatur: „Ante verba nostrae orationis *πῶς γὰρ κτλ.* §i nonae fortasse refellebatur excusatio Epicratis, quam e demagogia sua, quod bene et utiliter ea functus esset, petiturus videbatur." Sed tamen fieri non potest, ut Hamakero assentiar; primum enim nimis audacter videtur coniecisse cum argumentatio infirmis nitatur argumentis[3]); deinde autem omnino non est, cur haereamus in diversis de uno eodemque viro oratorum iudiciis. Monuit enim

---

1) Lipsiae 1845.
2) Quaest. lysiac. Lugd. Batav. 1843 p. 75.
3) cf. Scheibe Vind. Lys. p. 97.

iam Sievers, quam exigua fides in tali re oratorum iudiciis tribuenda sit, „si conferamus quae Lysias in hac oratione de Epicrate dixerit cum verbis Demosthenis supra commemoratis.“ Videtur enim fuisse oratorum mos, ut quid de homine aliquo sentirent, ita in orationibus conformarent, ut ad causam quam agebant, ad tempora, ad condiciones accommodatum videretur, nihil curantes tamen, num semper veritatem et fidem historicam sequerentur. Ita Demosthenes in oratione de falsa legatione habita Epicratem collaudare potuit, quid autem mirum, si Lysias eum ‚adversarium‘ obiurgare studuit? Itaque discrepantia inter Lysiae et Demosthenis verba non sufficit ad probandam sententiam Bauri[1]), quam in interpretatione Lysiae germanica hisce verbis professus est: „Nulla est causa, cur reum nostrum Epicratem et demagogum legatumque illum eiusdem nominis eundem esse putemus, immo potius id huic sententiae repugnat, quod in nostra oratione nulla prorsus mentio fit rerum illarum de Epicrate longe notissimarum.“ Sed si respicias, hanc orationem valde esse mutilatam neque esse epilogum[2]), pro quo falso habetur, non mireris notissimas illas de Epicrate res in hoc fragmento plane deesse. Non multum fidei tribuo Scheibii coniecturae, qui illa omnia ab eo, qui prior orator verba fecerit in ‚protologia‘ prolata esse posse contendit. Cum autem neque Lysiae et Demosthenis verba inter se diversa, neque id, quod in oratione Lysiae superstiti priora Epicratis facta non commemorantur, satis sint, ut duos eiusdem nominis viros illa aetate vixisse statuamus — eundem Epicratem esse Demosthenis atque Lysiae maximam probabilitatem habet. Etenim ille vir de re publica bene quidem meritus est — hoc certe Demostheni largiendum est — tamen posteriora eius facta minime ei laudi fuerunt, sed ut multi alii illis temporibus in re publica capessenda, auctoritate ac potentia abusus est, ut sibi inter belli tumultus divitias pararet. Cui sententiae inter viros doctos et Falkius[3]) et Franckenius Batavus assentiuntur, cum Blassius totam quaestionem de persona rei in medio relinquere malit[4]).

---

1) Uebersetzung der lys. Reden Stuttgart 1856 p. 317.

2) hoc in altero dissertationis capite demonstrabitur.

3) Lysias, deutsch v. Falk. Breslau 1843.

4) Blass Gesch. d. att. Beredtsamkeit p. 446: Ob die Persönlichkeit mit dem bei Demosthenes und Anderen vorkommenden Manne dieses

Iam vero quo anno causa Epicratis acta sit, nunc nobis indagandum est. Oratio Lysiae ipsa vix ullam nobis ansam ad hanc quaestionem disceptandam praebere videtur: e nominibus propriis nihil concludi potest, invenitur enim solum nomen Ὀνομάσαντος paragrapho quarta, sed demutilatum certe et in codicibus corruptum. Loquitur autem orator §o nona de bello quodam: „ἐν πολέμῳ“ dicens, neque dubium cuiquam potest esse, quin bellum quod vulgo dicitur Corinthiacum ab anno 395 usque ad annum 387 gestum (Ol. 96, 2 — Ol. 98, 2) significetur. Ad hoc enim bellum contra Lacedaemonios excitandum Epicratem regis pecunia corruptum esse, e Pausaniae narratione scimus, et quamvis hoc non verum videatur, tamen ex orationis multis locis[1]) eum inter bellum gerendum ex aerario publico divitias sibi quaesivisse, liquido apparet. Franckenius versu Ecclesiazusarum septuagesimo primo nisus, quae fabula docta esse videtur anno 393 vel Ol. 96, 4.[2]) dicit: „accusationem, cui, qui anno 343 senes erant, interfuissent, non ante annum 393 neque vero multum postea institutam fuisse.“ Falkius accuratius (quamvis audacter) tempus post annum 387 constituere vult, cui minime assentiri possum. Facio enim cum Blassio, qui prorsus sese intellegere negat, quo iure Falkius e locis illis scriptorum supra commemoratis pacem Antalcidae iam compositam esse concludat. Sed hoc ego addam, quod Falkius calculum suum ponit in testimonio veteris auctoris incertissimo, secundum quod Epicrates legatus ad regem mittebatur, cum Antalcidas iam cum illo de pace ageret, — sed primum totum illud argumentum est incertissimum[3]), deinde oratio nostra omnino non in γραφῇ παραπρεσβείας acta esse potest. Qua de re illum calculum minime rectum

---

Namens identisch ist, dies zu entscheiden haben wir keinen Anhalt. Nuperrime etiam Schoellius (quaest. fisc. p. 17) eundem esse Epicr. Dem. atque Lysiae statuit.

1) imprimis §o decima.

2) E. Curtius hist. graec. III, p. 214. Nuperrime egit de hac quaestione Goetze dissertatione peculiari, quam me inspicere non potuisse doleo; in lucem prodibit in Actis soc. phil. Ritschelianae Lips. 1874 fasc. II.

3) Invenitur in scholiis ad Aelium Aristidem rhetorem Marco Aurelio imperatore florentem ad verba rhetoris (editio Oxoniana 1722 a Samuel Jebbio facta I p. 172) hoc: Οὐδ᾽ οὕτως ἁπάσαις ταῖς ψήφοις ὑπέμειναν ἀλλὰ τῶν γε πεισάντων κατέγνωσαν, quae verba sunt in Aristidis Panathenaeico. Scholia edidit G. Frommel. Frankf. 1826.

esse consequitur; atque ex ipsius orationis verbis: *οἳ πρότερον ἐν τῇ εἰρήνῃ οὐδὲ σφᾶς αὐτοὺς ἐδύναντο τρέφειν, νῦν ὑμῖν εἰςφορὰς εἰςφέρουσι καὶ οὗτοι ἐν πολέμῳ πλούσιοι γεγόνασι* certe quidem apparet bellum iam aliquantum temporis duravisse; praeterea vix verisimile videtur accusationem in Epicratem iam primis belli annis esse institutam, multo plus habet probabilitatis eam sub finem belli (390—387) institutam esse; neque opinor certius tempus posse definiri, quam ut orationem hos inter annos habitam esse statuatur.

Nunc quoniam de anno accusationis egimus, necessario indagandum est, quid tandem Epicrati obiectum fuerit et quale fuerit causae genus, qua hic implicatum eum esse videmus. Inscriptio orationis est: „*κατὰ Ἐπικράτους καὶ τῶν συμπρεσβευτῶν*“ et invenitur initio paragraphi primae vox *τῶν συμπρεσβευτῶν*: sed quae in reliqua oratione insunt, minime in legatos, sed in homines, qui munere cum aerario publico coniuncto male functi sunt, quadrant. Itaque Falkius, qui primus illam fraudem aperuit, veterum grammaticorum levitate hoc appositum esse opinatus est; nam quoniam Epicrates, qui legatione illa ad Persarum regem suscepta praecipue erat insignis, in legatione collegas habebat, in hac nostra autem oratione plures rei commemorantur, nimia levitate veteres grammatici opinati sunt, actionem hanc etiam ad legatum Epicratem et collegas pertinere ideoque et in inscriptione et in §o prima illud additamentum apposuerunt. Similia Scheibius suspicatur ac nuperrime Schoellius[1]), qui cum titulum illum e scholio antiquiore excerptum videri arbitretur, monet nullam fere fidem titulis orationum Lysiacarum in codice traditis esse tribuendam[2]). Cum igitur unde illa inscriptio originem invenerit, satis patefactum sit, ex ipsa oratione illud certe consequitur et sagacissimis Hamakeri, Scheibii, Franckenii, Schoellii argumentationibus ad liquidum perductum est, in *γραφῇ παραπρεσβείας* minime Lysiae orationem posse habitam esse. Sufficiat hic modo pauca Hamakeri verba afferre[3]), quae et Scheibius citavit et quorum similia Franckenius dicit: „Legatus

---

1) Quaestiones fiscales etc. Berol. 1873 Weidmann.

2) Pariter nulla fides est titulo quartae orationis: *περὶ τραύματος ἐκ προνοίας, περὶ οὗ καὶ πρὸς ὃν* (*ἄδηλον*).

3) Quaestiones lys. Lugd. Batav. 1843 pag. 73.

„donec suo munere fungitur, nec sycophanta esse potest, nec „malorum hominum vindex et investigator: haec enim domi „fiunt, ille vero apud exteros munus obit.“ Sed minime, ut hoc praemittam[1]), Hamakeri coniecturam probo, qui verbis *τῶν συμπρεσβευτῶν* nisus orationem e duobus fragmentis inter sese diversis esse conflatam contendit. Neque etiam facere possum quin ab Hoelscheri suspitione dissentiam[2]): propterea quod oratio sit *δευτερολογία* actorem consulto causam ipsam id est *παραπρεσβείαν* non tractare — esse iam sat multum de ea a primario oratore dictum — synegorum vero reliquam tantum reorum vitam attingere[3]).

Vidimus qua in actione oratio in Epicratem scripta habita esse nequeat, nunc ex ipsa oratione exquirendum erit, qualis illa contra Epicratem accusatio fuerit. Atque multi eius loci satis luculenter, cuius criminis insimuletur ostendunt: ut verba §i tertiae: *ταῦτα δὲ (τὰ χρήματα) οὗτοι κλέπτωσι καὶ καταδωροδοκῶσι* et *καὶ πρότερον δώρων ἐκρίθησαν.* §i sextae *νῦν δ' ἀσφαλῶς αὐτοῖς ἔχει τὰ ὑμέτερα κλέπτειν,* §i septimae *ὥστ' εἰ μὲν ἀποψηφιεῖσθε τούτων οὐδὲν δεινὸν δόξει αὐτοῖς ὑμᾶς ἐξαπατήσαντας ἐκ τῶν ὑμετέρων ὠφελεῖσθαι,* §i decimae *τὰ ὑμέτερα λαμβάνειν,* similiter in §o undecima *τὰ ὑμέτερα κλέπτοντες.* Ex his liquido apparet *κλοπῆς δημοσίων χρημάτων* accusatum fuisse Epicratem. Sed iam quo in munere publico administrando Epicrates eiusque socii illud scelus commiserint, quaeritur.

Paragrapho tertia nostrae orationis illi „*φύλακες ὑφ' ὑμῶν καταστάντες καὶ οἱ τῶν ἀδικούντων κολασταί* a Lysia significantur; haec incerta muneris significatio, e qua qui fuerint Oedipo opus videtur esse, qui divinando assequatur, maxime nos offendit, nam minime equidem crediderim eo modo hanc obscuritatem posse explicari, ut in amissa (priore) orationis parte de munere illo satis expositum esse statuamus ita quidem, ut auditores iudicesque illud iam cognoverint, quapropter paullo liberius actor nostrae orationis hoc possit exprimere[4]). —

1) De hac coniectura in altera parte dissertationis agetur.

2) Hoelscher de vita et scriptis Lys. Berol. 1837. pag. 109.

3) Obstant gravissima argumenta, quae altera parte dissertationis explicabo.

4) Haec temere Hamak. p. 73 coniecit.

Sed quamvis e verbis illis proxime allatis nihil de munere, quo Epicrates functus est, concludi posse videatur, tamen viri docti sese coniecturis quidquam verisimile assecuturos esse non desperantes, varias protulerunt sententias, quas nunc examinandas proponamus. Blassius de munere Epicratis nihil certius statuit, nisi haec: „E. hat Unterschleif begangen in der Führung eines Amtes, mit welchem die Aufsicht über öffentliche Gelder verbunden war.“ — Falkius autem, cum pro *συμπρεσβευτῶν* *συμποριστῶν* substituendum esse coniciat, Epicratem in collegio poristarum fuisse statuit, quos pecunias ad sumptus rei publicae necessarias procurare oportebat. De hoc poristarum collegio hic breviter exponere liceat.

In Bekkeri anecdotis [pag. 294, 19] legimus: *πορισταί εἰσιν ἀρχή τις Ἀθήνησιν ἥτις πόρους ἐζήτει.* Non melius Aristophanis Ranarum scholiasta ad versum 1501: *πορισταὶ οἱ περὶ πόρον χρημάτων εἰσηγούμενοι.* Nihil ergo veteres explicant nisi quod quisque nostrum ex ipso vocabulo explorare possit. Diserta eorum mentio fit bis tantum intra decem fere annorum spatium: Antiphon in oratione *περὶ τοῦ Χορευτοῦ*, quam habitam esse Sauppius post expeditionem in Siciliam factam anno 413 vel paulo post sagacissime constituit[1]), haec dicit[2]): *οἵτινες καὶ νῦν τριάκοντα μνᾶς ἐπ᾽ ἐμοὶ λαβόντες παρὰ τῶν ποριστῶν καὶ τῶν πωλητῶν καὶ τῶν πρακτόρων καὶ τῶν ὑπογραμματέων κτλ.* In Aristophanis Ranis, quas anno 406 (Ol. 93, 3) doctas esse scimus, versu 1505 cum legum *ἀναγραφεῦσι* carpi videntur. Antiphontis verba ita comparata sunt, ut eius aetate *ποριστάς* fuisse magistratum certissimum sit, sed e Demosthenis loco, qui illos or. IV. §o XXXIII commemorat: *τῶν μὲν χρημάτων αὐτοὶ ταμίαι καὶ πορισταί* nihil de certo illorum temporum magistratu effici potest. Augustus Boekhius, qui in eiusmodi rebus summa auctoritate est, aperte id confessus est:[3]) „Hoc tantum e virorum doctorum[4]) pervestigationibus atque de illo

1) Orat. att. II p. 144.

2) or. VI, § 49.

3) Staatshaushalt der Ath. I. p. 225 no. c.

4) Egerunt omnino de illo poristarum munere praeter Boekhium Schoemannus griech. Alterthüm. p. 443 no. 3. K. F. Hermann griech. Staatsalterth. § 151, 2. W. Wachsmuth hell. Alterthsk. II. p. 209.

munere obscuro coniecturis certe consequitur: poristas fuisse collegium electum ad sumptus rei publicae prôcurandos; atque K. F. Hermannus et Schoellius [1]) eos extraordinarios redituum publicorum quaestores fuisse proposuerunt. Sed hoc e miro veterum auctorum silentio, quo hoc munus plane praetermiserunt, potest concludi, aut illud collegium per breve tantum temporis spatium Athenis viguisse, aut illud, cum vigeret, satis exigua potentia atque auctoritate fuisse instructum, ut et oratores attici eorumque scriptores aequales et lexicographi posterioris temporis plura de illo collegio dicere plane supersederent. — Quid igitur de illa coniectura „*συμποριστῶν*“ statuendum erit? Falkius — id concedendum est — magna sagacitate eam protulit, sed tamen duo potissimum sunt, quibus permotus quin plane a Falkio dissentiam facere non possum. U n u m, quod ei opponam et supra iam leviter attigi, hoc est: priore tantum tempore rei publicae Atheniensium munus illud exstitisse videtur, ita, ut auctor coniecturae, qui illud non infitiatur, concludere cogatur „vetus illud collegium „posteriore tempore“ ac „modo extraordinario“ et „in tempus aliquod“ rursus restitutum esse.“ His in verbis tres insunt coniecturae et audacissimae quidem, cum nullis nitantur argumentis. Sed etiamsi Falkio largiamur, id potuisse fieri, tamen a l t e r u m ei obstat. Frustra enim anquiramus, ut ait Schoellius, quo iure *ποϱισταί* nostra in oratione (§o tertia) noxiorum vindices et investigatores publici existere potuerint. Ad haec cum accedat quod verba *τῶν συμπρεσβευτῶν,* in quibus nititur Falkii coniectura, minime sunt genuina Lysiae, sed posterioris enarratoris, non iniuriam me facturum esse Falkio arbitror, si eius coniecturam prorsus improbandam esse statuo.

Porro Baurus Epicratem fortasse quaestorem aerarii publici *ταμίαν τῆς κοινῆς προσόδου* (qui etiam *ἐπιμελητὴς τῆς κοινῆς προσόδου* vel *ὁ ἐπὶ τῇ διοικήσει* nominatur) fuisse proposuit. Quod quidem vix cuiquam credibile erit; nam Baurus, ut mihi videtur, nullis niti potest argumentis sive e nostra oratione sive aliunde conquisitis; munus vero illud *ταμίου τῆς κοινῆς προσόδου* cum summum esset Athenis in pecuniis publicis administrandis atque quattuor annos [*πεν-*

1) Schoell. quaest fisc. pag. 18.

τετηρίδα] duraret[1]), Epicrati minime potest vindicari; tantum enim abest, ut oratio nostra ansam aliquam nobis ita coniciendi dederit, ut in ea Epicratem socios in munere administrando habuisse, qui accusatione implicati essent satis superque commemoretur, cum tamen unum *ταμίαν τῆς κοινῆς προσόδου* Athenis in quaternos annos electum esse a Boekhio ceterisque viris doctis constitutum sit.

Iam vero Hamakerus, qui in libello illo hanc orationem conflatam esse e duobus fragmentis inter se diversis ostendere conatur: „Hoc ipsum, ait, quod orator pro legitima magistratus appellatione nominibus usus est, quae indolem eius et naturam, quatenus hic requirebatur, partim nobis describerent, indicio est, eum supra in nostra oratione, ubi de ipsa causa disputaret, plenius et accuratius de eadem re dixisse, nunc vero ingenio polleat necesse est, qui illorum superiorum ope destitutus certi quid afferre velit de magistratu et quomodo, qui illo fungerentur, praecipuam aerarii curam habuerint.“ Iam Scheibius[2]), qui Batavi argumenta labefactare conatur, opposuit, illa, quae Hamakerus ab actore in superioribus copiosius explicata esse contendat, etiam ab eo, qui prior verba fecisset actore in protologia prolata esse posse. Atque qualis indicetur magistratus verbis *φύλακες καὶ τῶν ἀδικούντων κολασταί*[3]) paragraphi tertiae, cum Oedipo opus esse, qui divinando assequatur, contendat: certi quidquam de munere ab Epicrate administrato posse statui, Scheibius desperare videtur. —

Longe aliam et plane diversam proposuit opinionem Franckenius, qui totam orationis materiem ac sententiarum conexum disponens (p. 200), non certum munus male gessisse Epicratem eiusque socios credit, sed omnino Lysiam in factionem oratorum venalium et arte potentium invehi, qui magnifice promittere solerent, se potissimum rei publicae prospecturos (§o 3) ut ipsi lucra atque emolumenta sibi vindicarent[4]). Sed quid

---

1) cf. Boekh Staatshaushalt I p. 222 sq. Schoem. Alterth. I. p. 444. K. Fried. Hermann § 151. 10. gr. Staatsalterth.

2) Verior hac quidem in parte tamen Hamakerus, cum oratio nostra non epilogus sit. cf. particula II huius dissertationis.

3) Falso Hamakerus de logistis et euthynis cogitavit cfr. Schoell Quaest. fisc. pag. 18 nota 2.

4) Similiter Müller (Beiträge zur Kritik des Lysias, Mersebg. 1862) pag. 13. orationem non in Epicratem et socios eius, sed solum in socios

hac coniectura proficimus? Franckenius tam audacter coniectavit, ut tota illa quaestio non dissolvatur, sed quodammodo omnibus fundamentis carens in vaga obscuritate relinquatur. Verum enim vero nos haud plura quam par est contendere arbitror, si Epicratem munus aliquod aerarii publici administravisse statuamus, sed quid et quale id fuerit, ut res nunc se habet, si Blassii verba sequimur [1]) fortasse nunquam omnes viri docti inter sese consentient. — Cum autem de hac obscura atque difficillima quaestione certam me proponere sententiam opus sit, apprime erit cavendum, ne inconsiderate in coniecturis pericliter, quae — etsi non utique refellendae — tamen haud satis firmis argumentis sunt stabilitae. Quoniam tales fuisse omnes fere hucusque virorum doctorum coniecturas intelleximus, nuper Schoellius, vir iuris attici peritissimus, novam prorsus viam ingressus sententiam de munere Epicratis protulit, quam et sagacissime exputatam nec non satis firmis e ceteris Lysiae orationibus argumentis munitam esse, nemo erit, qui infitietur, ita ut equidem me ad hanc Schoellii sententiam plane componere posse arbitrer. Longum est neque opus totam Schoellii argumentationem repetere, gravissima tantum, quae ad nostram hanc orationem spectant, quam brevissime afferam.

Schoellius [2]) et e Lysiae orationibus XVII, XVIII, XIX, XXI et e veterum grammaticorum et lexicographorum testimoniis demonstravit, Athenis post eversum triginta virorum imperium magistratum extraordinario modo *χειροτονίᾳ* institutum esse nomine *συνδίκων*, quorum fuerit provincia, ut in perturbatione, quae tum erat, rerum et publicarum et privatarum de bonis civium publicandis cognoscerent et actiones darent in eos, qui sub XXX virorum imperio e bonis publicatis publicandisve avertissent sive detinerent. Sed quid de annuis [3]) magistratibus, quorum munus talia comprehendebat, erit statuendum? Nimirum illos in tanta quaestionum mole

peroratam esse proposuit, omisso nomine *Ἐπικράτους* initio §i primae et §o 16. Satis, opinor, audacter coniectum!

1) Blass, recensio in annalibus Ienensibus anno 1874. No. I pag. 15.

2) Quaestiones fiscales, Gratulationsschrift an Schömann. Berol. 1873.

3) *οἱ ἕνδεκα* secundum Etym. Magn. p. 338. cf. Meier att. Proc. p. 77. 259. et de bonis damnat. pag. 209. *Ζητηταί* et *συλλογῆς* fortasse eidem intellegendi sunt cf. Schoell pag. 14.

parum suffecisse, Schoellius habet persuasum. Immo vix videtur probabile accusationes in publica actione, quae ad syndicorum collegium pertinebat, tum hominum privatorum sive studiis sive cupiditatibus relictas fuisse et minime credibile est, *συνδίκους* penes quos erat causas cognoscere cognitasque suffragiis iudicii committere, etiam ipsos accusatores sive delatores exstitisse. Sed cum nihil in Atheniensium institutis forensibus religiosius cautum esse Schoellius moneat, quam ne eidem magistratui in eadem causa et iuris dictio et accusatio competeret, videtur consentaneum populum Atheniensium cum extraordinarium tribunal eligeret ad proscriptiones examinandas, simul eodem consilio inquisitores vel delatores, quos *συλλογῆς* appellatos esse e lexico rhetorico cognoscimus [1]), instituisse. Et vero hoc alteri collegio mandatum fuit, ut publica auctoritate praediti officii causa bona civium fisco vindicanda notarent et in indicem redigerent [2]). Quamdiu extraordinaria haec collegia manserint, non constat, tamen e Schoellii calculo haud verisimile videtur, ea collegia per viginti annos plus minusve munere suo functa esse [p. 10]. Verum tamen cum non satis constet, num statim post eversum XXX virorum imperium instituta sint, inter bellum Corinthiacum autem multas certe quaestiones de publicandis bonis intercessisse verisimile sit sive e pecuniae penuria, sive e populi ultro proscriptionum cupidi suspitione sive e violatis civium officiis (*λειποταξίου γραφή* et similia) — quae cum ita sint, delatores fiscales *συλλογῆς* illo tempore Epicratem quoque eiusque socios fuisse cum Schoellio persuasum habeo. Cum vero in munere hoc administrando fraudes et peculatus — quae vitia tristibus illis temporibus, rebus omnibus labefactis, moribus prorsus corruptis communia fere fuisse Lysiae orationes passim testantur — in suum ipsorum commodum cum aerarii civiumque detrimento commisissent, illi viri accusati sunt in muneris ratione reddenda [3]). Orationem accusatoriam autem esse

---

1) Bekker pag. 304: *συλλογῆς ἄρχοντες ὑπὸ τοῦ δήμου χειροτονηταί· οἵτινες ἀπεγράφοντο τὰς οὐσίας τῶν ὀλιγαρχικῶν.*

2) Simile discrimen inter hos magistratus intercessisse videtur atque *ἐν εὐθύναις* inter logistas et euthynos, quorum munera ita erant disposita, ut iuris dictio penes unum logistarum collegium, penes euthynos inquisitio esset et accusatio. Schoell pag. 9.

3) De hac muneris reddenda ratione Aeschines Ctesiph or. c. 5:

Lysiacam vicesimam septimam perspicuum erit ex hisce ipsius orationis locis ad illud demonstrandum gravissimis: Paragraphi primae: *Ἐνθυμεῖσθαι δὲ χρὴ ὅτι πολλάκις ἠκούσατε τούτων λεγόντων, ὁπότε βούλοιντό τινα ἀδίκως ἀπολέσαι, ὅτι εἰ μὴ καταψηφιεῖσθε, ὧν αὐτοὶ κελεύουσιν, ἐπιλείψει ὑμᾶς ἡ μισθοφορά,* collato cum verbis §i XIae *νῦν δὲ οὕτως ἡ πόλις διάκειται, ὥστε οὐκέτι ὧν οὗτοι κλέπτουσιν ὀργίζεσθε, ἀλλ' ὧν αὐτοὶ λαμβάνετε χάριν ἴστε ὥσπερ ὑμεῖς τὰ τούτων μισθοφοροῦντες, ἀλλ' οὐ τούτων τὰ ὑμέτερα κλεπτόντων.* Adde verba §i tertiae, qua in §o cur Epicrates eiusque socii *φύλακες κτλ.* denominentur, nemini tum est offensioni: *καίτοι τίνα χρὴ ἐλπίδα ἔχειν σωτηρίας, ὁπόταν ἐν χρήμασιν ᾖ καὶ σωθῆναι τὴν πόλιν καὶ μή, ταῦτα δὲ οὗτοι, φύλακες ὑφ' ὑμῶν καταστάντες, οἱ τῶν ἀδικούντων κολασταί, κλέπτωσί τε καὶ καταδωροδοκῶσιν;* — Nuperrime Blassius [in annal. Jenens. No. 1 1874] suspitionem movit in Schoellii argumentationum, cum utique contendat, orationem esse *δευτερολογίαν* ideoque causam obscuram neque enucleandam, tamen Schoellii sententiam dignissimam esse, quae a viris doctis spectetur, confitetur.

Atque ut ad aliud crimen, quod Epicrati sociisque obicitur, transeamus, non solum *κλοπῆς δημοσίων χρημάτων* verum etiam *δωροδοκίας* illos insimulari ex oratione luculenter apparet, sed quaeritur, quale quidve crimen verbo *δωροδοκίας* orator velit intellegi. Nam cum diversae de ea re prolatae sint a viris doctis sententiae, facere non possum quin paullo amplius hac in re immorer. Lysias illam insimulationem §o tertia attingit: *καταδωροδοκῶσι* et *καὶ πρότερον ἤδη δώρων ἐκρίθησαν* commemorans; deinde sequenti §o *αὐτοὶ ἦσαν οἱ περὶ τῶν χρημάτων καὶ τῶν δώρων πρὸς τούτους πράττοντες,* denique §o sexta *μέρει τῶν ἀδικημάτων τὸν κίνδυνον ἐξεπρίαντο.* — Scheibius contortam, ut mihi videtur, explicationem illorum verborum §i tertiae proposuit: „*δώρων* ista *γραφὴ* superiore tempore in istos instituta erat", ita, ut in *πρότερον* voce maximum illi momentum positum videatur et eo modo iure *κλέπτειν τε καὶ δωροδοκεῖν* dici posse opinetur. Verum enim vero, num illa argumentandi ratio reapse

---

οὐδείς ἐστιν ἀνυπεύθυνος τῶν καὶ ὁπωσοῦν πρὸς τὰ κοινὰ προσελθόντων nimirum praeter Areopagitas prioris temporis. Cf. Wachsm. hell. Alterthsk. I, 1. p. 192, K. Fr. Hermann § 147. 6. gr. Staatsalterth.

omni dubitatione careat, paullulum investigare operae pretium est. Id certe tenendum est, Epicratem ante hanc litem iam corruptionis reum fuisse, sed absolutum; si autem Lysias, ut Scheibius vult, hac in nostra oratione priorem illam accusationem tantum attingere nec vero alterum et novum huius accusationis momentum afferre in animo haberet, quo iure tempore praesenti *καταδωροδοκῶσι* uti potuit — aoristum certe exspectasses. Tum observanda est collocatio illius *ἤδη*; non dicit orator *ἤδη πρότερον* sed verbis inversis *πρότερον ἤδη δώρων κτλ.* id est: „Früher war er schon der Bestechung angeklagt, cui respondet necessario supplendum: *καὶ νῦν*. Supervacaneum denique fuisset, si orator novum crimen afferre noluisset, ut quater in tam brevi orationis, quae exstat, parte illud *δώρων* crimen Epicrati obiceret; semel id commemorare certe satis fuisset. Itaque, ut opinio mea fert, novum crimen voce *δώρων* reo obicitur, quod quidem omnes, quantum cognoscere licet, praeter Scheibium homines docti statuerunt; sed tamen alius aliter notionem illam *δώρων* interpretatus est. Proposita enim est quaestio, utrum Epicrates alios corruperit, an ipse sese corrumpi passus sit, cum falso *δώρων γραφή* a nonnullis in utramque partem explicata sit. Baurus Epicratem *ἐν εὐθύνῃ* testes corrupisse contendit, cui prope assentitur Falkius, qui dicit: „Er habe bei Ablegung der Rechenschaft die Gegenzeugen durch Bestechung gewonnen und sei dieser Bestechung halber vor Gericht gefordert worden.“ Sed falso Falkius interpretatur vocabulum *καταδωροδοκεῖν*, nam non significat, ut opinatur „Bestechung geben“ quod iam Blassius[1]) iure vituperavit, sed potius „Geschenke annehmen“ sive „für Geschenke preisgeben“ ergo est c o r r u m p i. Diserte egit de hoc duplici modo corruptionis Edu. Meier[2]) qui rem ita composuit, ut actio *δεκασμοῦ* in eum, qui quem donis corrumpat, actio *δώρων* seu *δωροδοκίας* in eum, qui acceptis pecuniis corrumpatur, instituenda fuerit. Haec si sequimur, apparet Bauri et Falkii interpretationem verbi *δώρων* plane perversam atque improbandam esse; contra iure Blassius Epicratem ab aliis se corrumpi passum esse censet, cui assentiri Hamakerus videtur

---

1) Gesch. der att. Beredtsk. pag. 446.

2) Herm. Ed. Meier historiae iuris attici libri duo, Berol. 1819 pag. 111 sq. No. XVIII.

pariter ac Parovius[1]). Franckenius cum Epicratem eiusque socios significet factionem oratorum venalium, idem fere statuere videtur. Quibus hominibus doctissimis eo magis facere non possum, quin assentiar, quo clarius verbum *δωροδοκεῖν* hic activo sensu explicari non posse, patet. Repugnat solum, quod in §o sexta invenitur *μέρει τῶν ἀδικημάτων τὸν κίνδυνον ἐξεπρίαντο*, sed hoc, ut aoristus indicat, ad praeteritum tempus referendum est, eo tamen modo, ut Epicratem alios sive testes sive qui accusationem in se instituere voluerint, pecunia ex aerario surrepta corrupisse statuamus. Quam ad priorem corruptionem ab Epicrate commissam licet etiam referas §i quartae verba *οἱ περὶ τῶν χρημάτων καὶ τῶν δώρων πρὸς τούτους* (sc. Epicratem et socios) *πράττοντες*. Neque enim necessarium esse puto, nos Franckenii interpretationem sequi „testes prodibant, qui dona Epicrati, ut ei insidiarentur, obtulerunt.“ Hoc vix mihi persuadeam, nam mirum illud atque audacissimum fuisset, facile enim ob hunc corruptionis conatum ipsi in ius vocari poterant — immo potius id propono: Egisse cum illis hominibus Epicratem, ut eos in priore causa corrumperet, sed, quod iis non satis pecuniae promisisset, testes tum contra illum in causa exstitisse.

Socios accusatione implicatos ceteros illos *συλλογῆς* fuisse cum Schoellio supra statuimus, qui quidem viri optime nominibus *φύλακες καὶ κολασταί* compellantur. Sed mirificam de sociis Epicratis opinionem Franckenius (pag. 201) protulit, cum legationem male gestam causam huius orationis fuisse contendat: „perstringuntur Epicrates eiusque defensores tamquam mali demagogi, quibus nunquam fidem habere oportet; nam male gestae legationis opportunitate utitur orator, ut totum hoc genus demagogorum perstringat, ab eoque tamquam fonte miseram civitatis condicionem repetat.“ Nititur haec explicatio in coniectura, quam Fr. antea proposuit, esse §o quarta legendum non *ὑφ᾽ ὑμῶν καταστάντες*, sed omissa *ὑπὸ* praepositione: *φύλακες ὑμῶν καταστάντες*, significare autem haec verba: „qui vestri (i. e. civitatis) custodes exorti sunt et maleficorum vindices, qui magnifice promiserunt se cives servaturos, maleficos a vobis esse prohibituros.“

Hoc Franckenii iudicium minime ego probare ausim: nam

---

1) Parovius de Lys. orat. XX forma et auctore. Halis 1869 pag. 44.

legationem illam, quae vulgo fertur, male gestam nequaquam tenendam esse cum ceteris interpretibus statuo, quippe cum vox illa *συμπρεσβευτῶν* sit subditicia, atque, ut ipse Franckenius dicit, post sectionem primam nihil sit in tota oratione, quod ad legationem male gestam referatur. Tum non video, qui fieri possit, ut plurali illo „defensores Epicratis" significentur, cum §o duodecima *δημόται καὶ φίλοι κλαίοντες ἐξαιτεῖσθαι αὐτοὺς παρ᾽ ὑμῶν* (sc. Epicratem et socios) Lysias vereatur. Etenim non opus fuit amicos pro defensoribus deprecari, sed solum pro reis, quod quidem ipse Franckenius pag. 204 dicit. Ac cum contendat significari omnino malos demagogos, qui partim „correi," partim defensores, partim deprecatores sint, tam latam illi plurali attribuit sententiam, ut de certis personis omnino cogitari nequeat, sed oratio nostra mirum in modum magis invectio aliqua in malos cives, quam accusatoria ad certam causam facta videatur. Quod prorsus est improbandum, sed Franckenius hanc opinionem protulisse videtur, ut quoddam sit fundamentum iudicii sui de totius orationis origine, quam a rhetore posteriore non pessimo e flosculis Lysiacis et Demosthenicis compositam esse, sibi habet persuasum. —

Iam vero de accusatoribus, quos plures fuisse in hac causa videmus e §§is XIV et XV, in quibus utique pluralis exstat, atque de eo, qui hanc orationem dixerit, tanta est obscuritas et silentium per totam orationem, ut neminem coniectura quidquam certi de illis assequi posse, per se intellegatur.

Iudicium vero, ut breviter commemorem, ante quod hanc causam actam esse putamus, videtur fuisse heliastarum collegium [1]), quod e §o prima facile potest perspici, qua paragrapho orator cum verbis *ἐπιλείψει ὑμᾶς ἡ μισθοφορά* denotat illud iudicum stipendium, quod heliastae e Periclis temporibus accipere solebant [2]).

F o r m u l a, quae fuerit a c c u s a t i o n i s nunc restat, ut indagetur. Blassius (p. 446) causam esse fortasse *εἰςαγγελίαν* suspicatur; sed id fieri nequit. De lege *εἰςαγγελτικῇ* magna

1) Ita etiam Blass p. 446. Numerus eorum tum erat in tali causa quingenti et unus cf. Boekh. Staatshshlt. I p. 270c.

2) Meier et Schoemann. Att Process p. 136.

cum sagacitate egit Hermannus Hager [1]) in dissertatione quae inscribitur: „Quaestionum Hyperidearum capita duo“, in qua ad liquidum perduxit, in ipso *νόμῳ εἰςαγγελτικῷ* scelera per *εἰςαγγελίαν* persequenda fuisse definita; in alia autem eandem formulam adhiberi non potuisse, nisi ea condicione, ut actor ad aliquam legis partem sese applicaret. Quattuor autem (vel quinque) erant partes *εἰςαγγελίας*, in quibus non invenitur causa *κλοπῆς δημοσίων χρημάτων* [2]) Itaque hanc causam per *εἰςαγγελίαν* actam esse statui nequit, sed ut meam sententiam proferam, instituta videtur haec causa per formulam *εὐθυνῶν*, de qua etiam Blassius cogitavit [3]). Apparet enim e veterum scriptorum testimoniis apprime accusationem *κλοπῆς τῶν δημοσίων χρημάτων* et *δώρων* in *εὐθύνας* esse referendam, qua de re diserte egerunt Meierus et Schoemannus [4]). Accusationes autem per *εὐθυνῶν* formulam institutae omnes erant *τιμηταί* [5]) ideoque non certa poena proposita erat, sed et accusatori licebat certam poenam poscere a iudicibus, ut hac in oratione fit, et e iudicum sententia pendebat, quam poenam reus solvere deberet *(τίμημα)* [6]). *Ἄτιμοι* autem ipso iure qui *κλοπῆς* condemnabantur fuerunt [7]), quod quidem apparet etiam e Lysiae in §o sexta decima verbis: *ὥςπερ τοῦ ὀνείδους ἀλλ' οὐ τῆς ζημίας αὐτοῖς μέλον.* Actor causae nostrae ut Epicrates capitis a iudicibus damnetur deposcit, quod videri licet e §o septima: *Ἐὰν δὲ καταψηφισάμενοι θανάτου τιμήσητε κτλ.* tum e §o octava: *Εἰ καταψηφισάμενοι τῶν ἐσχάτων τιμήσαιτε,* denique e §o decima et sexta: *Νῦν τοίνυν, ὦ ἄνδρες δικασταί, καταψηφισάμενοι Ἐπικράτους τῶν ἐσχάτων τιμήσατε!* —

Sed Epicrates iudicum sententiam non exspectavit; veritus enim ne capitis damnaretur, clam Athenis fuga recessit: ac postea inter gentes externas procul a patria exsul mortem obiisse videtur [8]).

---

1) Lipsiae 1870. pag. 52 sq. 2) Hager pag. 53—64.

3) p. 444. Nuperrime etiam Schoellium mecum consentire video pag. 18. nota I, qua de re valde laetor.

4) Meier et Schoem. Att. Process p. 214—224.

5) Meier et Schoem. l. c. pag. 223—224.

6) Meier de bonis damnat. pag. 122. Lys. I, 29. cf. etiam nota 14 in Falkii translatione. 7) Meier et Schoem. l. c. pag. 165.

8) W. Wachsmuth. Hell. Alterthsk. p. 280 Bd. I, 1 Demosth. XIX § 277 Epicratem capitis damnatum esse narrat.

CAPUT II.

Priore dissertationis parte quoniam de persona et causa in Epicratem acta egimus, altero nunc capite expositurus, quid de oratione Lysiaca contra Epicratem habita ipsa videatur statuendum esse, tres potissimum quaestiones ad indagandum proponam, quibus excussis et dissolutis totam de oratione Lysiae vicesima septima disceptationem absolutam fore arbitror.

Ac primum quidem: Oratio Epicratea estne a Lysia abiudicanda necne?

Deinde: Num possunt re vera illa, quae exstant orationis, in diversa fragmenta dirimi?

Denique: Id, quod Epicrateae orationis adhuc exstat, estne epilogus an potius primariae orationis pars (peroratio)?

I.

Acerrimus in orationem XXVII adversarius exstitit Franckenius, qui quidem vir doctus in libello illo quem supra commemoravi eam orationem minime a Lysia conscriptam esse satis sese demonstrasse habet persuasum. Quas igitur in illam moverit suspitiones, quaeque protulerit argumenta, nunc mihi imprimis examinanda et partim erunt refellenda, quod cum faciam, tamen quin etiam ceterorum hominum doctorum et coniecturas et adnotationes explicationesque, quoad huc spectant, attingam atque indagem, fieri non potest. Atque ita instituam disputationem, ut Franckenium per totam orationem sequamur argumentantem dataque occasione ceterorum virorum doctorum observationes afferamus. —

§ 2. Codex Palatinus X^K (id est e Kayseri lectione) exhibet *πλῆϑος* et eandem notam in margine [1]; si Scheibium sequimur, post *πλῆϑος* lacuna statuenda est. Animadvertit Dobreus [2]: Conferas Aristophanis Equites v. 1355 [3], ceterum mutilus locus est, ut videtur; sensus: „quod isti semper dictitabant, nunc saltem verum est, cum ita sint civitatis opes ut *nisi coerceantur horum rapinae, peritura sint stipendia Istarum autem rapinarum* odium ad vos redit lucrum ad istos.“ — Codex Laurentianus C omittit *τοσοῦτον,* ita Bekkerus quoque [4]. Inde quaerit Dobreus utrum post *ἧττον* an post *πλῆϑος* ponenda sit lacunae nota. Non facio cum Dobreo, cum nimium verborum et artificiose et plane e suo arbitrio in lacunam inculcet. Adversatur illi iam Franckenius hanc proponens sententiam: „Nihilo minus (etsi vos condemnavistis) nunc tanta est stipendiorum (*μισϑοῦ ἐκκλησιαστικοῦ* potissimum et *δικαστικοῦ*) penuria, ut populus *indigeat, isti divites sint* et dedecus etc.“ Excidisse habet persuasum voculam: *πένεται,* quo verbo similiter utitur orator or. XII §o sexta [5]. Tale quid hoc loco scriptum fuisse satis mihi probabile est, cum structura periodi fiat aptissima: bipartita enim sententia opponuntur inter se populus iudicesque, qui incommodum, et rei, qui utilitatem capiant; tum priore parte rursus bipartita sibi obstant et populus, qui stipendii iacturam facit et iudices, qui opprobrium in sese conferunt. Minus mihi placet Franzii coniectura *πλῆϑος τῶν κινδύνων* languida certe atque a sententia prorsus aliena [6]. Sed non solum lacuna statuenda illi loco mederi conati sunt editores, verum etiam pro *πλῆϑος* vocabulo alias scripturas proposuere. Ineptae quidem veterum editorum coniecturae sunt, sed ne quid desit, afferam modo sine ulla explicatione: Schottus [7]

---

1) cf. Foertsch Lysiae orat. quae supersunt omnes Lipsiae 1829. pag. 24.

2) Adversariorum criticorum tomo I.

3) Verba in editione G. Dindorfii quinta correctiore Lipsiae 1869 sunt haec:

„*οὐκ ἔστιν ὑμῖν τοῖς δικασταῖς ἄλφιτα*
εἰ μὴ καταγνώσεσϑε ταύτην τὴν δίκην.“

4) C. A. Pertz, quaestionum lysiac. specimen pag. 11. Clausthal 1862.

5) *πάντων δὲ τὴν πόλιν πένεσϑαι* cf. etiam nostrae or. §um nonam.

6) Müller „Zur Kritik des Lysias pag. 12. *Πλῆϑος τῶν πεπονϑότων* cf. apud Muellerum de locis Lys. emendandis pag. 13.

7) Reiske. Orat graecorum tomo V p. 807 sq.

pro πλῆθος vult πένθος (heu! poeticum apud Lysiam vocabulum). Markland ὄνειδος. Reiskius μῖσος vel βλάβος pro βλάβη. — Turicenses vertunt hunc locum: „multitudo flagitiorum.“ Paullo aliter Foertschius (p. 25) quoniam coniecturam τὸ πάθος[1]) defendi non posse intelligit, scripturam, ita, ut exstat genuinam minimeque tentandam esse nobis persuadere conatur, cum ad πλῆθος „τῶν καταψηφισθέντων multitudo damnatorum“ suppleat, mirum certe in modum verba oratoris interpretans. Languida enim haec mihi videntur atque suavitati dicendi Lysiae (χάριτι) minime accommodata. Scheibius denique in novissima editione [Lipsiae 1867] ad nullam illarum coniecturarum sese applicavit immo lacunam indicavit, cum Sauppius ἔχθος pro πλῆθος sensui aptum fore putet[2]).

§ 3. *Οὗτοι, φύλακες ὑφ᾽ ὑμῶν καταστάντες, οἱ τῶν ἀδικούντων κολασταί κτλ.* Hirschigius (Emendat. critic.) haesit in forma καταστάντες proponens passivum κατασταθέντες, quo tamen non opus est. Similiter invenitur καταστάντες et apud Lys. XII, § 43: „πέντε ἄνδρες κατέστησαν ἔφοροι ὑπὸ τῶν καλουμένων ἑταίρων et apud Isocratem VII, § 62 τὴν ὑπὸ τῶν τριάκοντα καταστᾶσαν κτλ.[3]) Multum mihi placet Reiskii coniectura, quam etsi optimam praebet sententiam, recentiores plane omiserunt: pro οὗτοι φύλακες scribendum est: *οὗτοι οἱ φύλακες ὑφ᾽ ὑμῶν καταστάντες καὶ τῶν ἀδ. κολασταί.* Partim eam recepit Dobreus in Adv. criticis cum οἱ φύλακες scribat, illud καὶ tamen omittat. Latet certe difficultas in οἱ τῶν ἀδικούντων κολασταί, de quibus verbis iam supra egimus. Quae Franckenius hoc loco conicit, — ne dicam — hariolatur, prorsus aliena ab omni similitudine veri videntur esse. Tota autem res componitur aptissime, si verba illa tam in universum dicta συλλογῶν munus significare putemus. Franckenius: „Haec sic scribere nullus orator Athenis potuit“ exclamat, tamen huic loco se facili medicina posse mederi putat omissa ὑπὸ praepositione! Sed haec interpretatio minime placet, quod et ὑφ᾽ habent ambo codices X et C, et sententia est ineptis-

1) τὸ πάθος denuo coniecit Dryander coni. Lys. pag. 18.

2) Hac in §o pro οὗτοι καί οἱ τούτων λόγοι Halbertsma lect. Lys. p. 56. male coniecit οὗτοι οἱ λόγοι. Franckenius mavult ψηφίζεσθαι pro futuro ψηφιεῖσθαι. Παρὰ τῶν ἀδικούντων corrigit Schoell. p. 18, 1. in παρὰ τῶν ἀδικουμένων [?]

3) plura cf. ap. Kruegerum Gram. gr. § 52, 3. 1. et § 52, 10.

sima, nam, ut supra monui, hac coniectura recepta non in publicos magistratus Lysiam hic invehi arbitratur, sed in factionem oratorum venalium quandam, qui quamvis sese pro rei publicae salute prospecturos esse semper dictitent, tamen sibi ipsis lucra comparent. —

§ 4. Subita conversio §i quartae *καὶ ὑμῖν ἔχω* valde Franckenio displicet (p. 203). Melior intercedit conexus, si scribimus *ἃ καὶ ὑμῖν ἔχω*, quod nuperrime proposuit Halbertsma Batavus et Herwerdenus in analect. critic. in Lys. et Thuc. Sed quod orator hoc loco abrupte quodammodo minusque suaviter transitionem ad alia facit, id librariorum incuriae tribuendum videtur, nam facile illud relativum *ἃ* potuisse excidere, equidem crediderim. Praeterea etiam sententiarum conexus rei est plane accommodatus: „Reus eiusque in causa socii iam prius ante iudicium steterunt, quod vobis potissimum, iudices, est opprobrio, qui eiusdem criminis Onosandrum damnavistis, absolvistis vero Epicratem.“ Iam vero nomen *Ὀνομάσαντος* Graecis certe inauditum, nemini debet esse offensioni, qui secum reputat, quam corruptae ac lacunosae nobis Lysiae orationes traditae sint. Hermanni Saupii maxima laus summumque est meritum, quod demonstravit[1]) codicem Palatinum, qui litera X significari solet, unicum atque verum fontem ceterorum esse codicum, sed tamen hic quoque codex non minus quam ceteri lacunosus ac corruptus est, praesertim in orr. IV, VIII, XX, XXVII, ut viris criticis latus coniectandi campus pateat. Neque vero potest probari eorum interpretum ratio, qui in singulis saepe haesitantes, de quibus fortasse nunquam consensus inter omnes viros doctos versabitur, — sicuti de hoc nomine mutilato — orationem non genuinam esse ostendant; multo fructuosiorem puto laborem esse, si codicis corruptelas quam accuratissime indagemus et cognita manifesta labe qui haec existere potuerit, atque quo modo corrigi liceat operam navemus. Ita primo obtutu apparet *Ὀνομάσαντος* gravem esse nominis proprii corruptelam librarii incuria ortam. Quae num ita sanari possit, ut omnes interpretes contenti emendatione acquiescant, equidem valde dubitaverim. Neque enim de illius viri vita, de factis nec quidquam certi de hac

1) Epistola critica ad G. Hermannum Lips. 1841. pag 7—23. cf. etiam C. Scheibe. Progr. orphanotrophei Halensis 1836, pag. 4 sq. et p. 13 sq.

ipsa lite, qua implicatus dicitur fuisse constat neque umquam constabit. Praestat igitur nomen mutilum in textum recipere[1]) nota corruptelae designatum, quam in vanis periclitari coniecturis, quales exstant complures[2]), e quibus tamen Stephani in margine *Ὀνομασάνδρου* maximam videtur habere verisimilitudinem cfr. Reiske Orat. graec. V. p. 809[3]).

§ 5. Cum Lysias *παράδειγμα τοῖς ἄλλοις ἔσται μὴ τολμᾶν εἰς ὑμᾶς ἐξαμαρτάνειν* dicat in Nicomacheae §o XXIV, vehementer Batavum offendit illa, quam putat, ambiguitas verborum in Epicratea: *ἔσται παράδειγμα τοῦ μὴ ἀδικεῖν ὑμᾶς*. Haec, inquit, si alio loco legerentur unus quisque intellegeret „exemplum vestrae innocentiae", cum nexus doceat significari „ne vos audeant iniuria afficere." Genetivus ille finalis, ut Batavo videtur, etsi imprimis Thucydideo generi dicendi accommodatus est[4]), tamen invenitur in Lysiae orationis octavae §o XVII: *ᾤμην γὰρ ἀπόθετος ὑμῖν εἶναι φίλος τοῦ μηδὲν ἀκοῦσαι κακόν*. Quo loco, ut ait Franckenius, *ἀπόθετος* prohibendi complectitur significationem. Simili autem modo, non *παράδειγμα* quidem — quod per se deposuit verbalem significationem — sed tamen *ἔσται παράδειγμα* (si haec feceritis exemplum illis propositum erit, quominus iniurias vobis afferant) praegnanti usu cur et verbalem et prohibendi significationem utique non contineat, equidem non video. Sed infinitivum illum finalem ab hoc loco plane alienum esse malim statuere, neque enim infinitivo *ἀδικεῖν* tanta vis verbalis est tribuenda; quoniam enim infinitivus cum articulo coniunctus substantivi instar usurpari solet[5]) pendet, opinor, illud *τοῦ*

---

1) Ita Westermann et Scheibe.

2) Proposuit Franz: *Ὀνομακλέους*. Scheibio placet *Τιμαγόρου*, quod nomen rerum memoriae conveniat secundum Athenaeum VI p 251. et Demosth. XIX. § 137.

3) Hac in §o. *ἁπάντων* deleri vult Dobreus, ac iure quidem, nam sensus verbi *ἁπάντων* hoc loco est minime ferendus, qui enim sunt illi *ἅπαντες*? Itaque iam Schottus *ἀμφοῖν* posuit, quod hunc in locum optime quadrat. Fortasse simplicius est scribere *αὐτῶν*, quod Scheibio placet. — *Καὶ τῶν δώρων* eiciunt Halbertsma et Herwerdenius (Anal. Critic). Pro *τούτου δὲ* Muellerus (Beiträge zur Kritik des Lysias) vult scribere *τούτων δὲ* cf. progr. Merseburg 1862 p. 13.

4) Thucyd. ed. Krueger I, 4. Dobre et Arnold ad Thuc. II. 4. cf. Kruegeri Gram. graeca § 47. 22. 2.

5) Kruegeri Gram. graec. § 50. 6.

ἀδικεῖν veluti genetivus substantivi e vocabulo *παράδειγμα* ita quidem, ut finalem eius notionem hic nemo desiderarit. Vertam autem haec verba, etsi accuratissime ea transvertere in sermonem latinum non licet: „erit exemplum de iniuria in vos commissa.“ Nam nemo terrarum illud *ὑμᾶς*, ut Franckenius, accusativum subiecti esse statuat, cum nexu totius periodi imprimis extremis verbis *πάντες παύσονται ἐπιχειροῦντες εἰς ὑμᾶς ἐξαμαρτάνειν,* quid orator sibi velit, satis liquido appareat. Quod autem in Nicomachea haec sententia aliter expressa est *μὴ τολμᾶν εἰς ὑμᾶς ἐξαμαρτάνειν,* tamen me quidem iudice verba Epicrateae non deteriora sunt, cum ambiguitatem aliquam maxima subtilitate enucleare possis, quod iudicibus illa verba audientibus nunquam certe in mentem venit [1]).

§ 6. *Μέρει τῶν ἀδικημάτων τὸν κίνδυνον ἐξεπρίαντο.* Hic Franckenius in tropico usu vocabuli *ἀδίκημα* haeret. In Lysiae orationibus illud *ἀδίκημα* sic usurpatum pro *χρημάτων ἀδίκως κεκτημένων* non invenies nisi in orationis XVII inscriptione admodum suspecta: *Περὶ δημοσίων ἀδικημάτων.* Praeterea similiter adhibitum apud Platonem illud bis ego reperi [2]). Mira certe loquendi est brevitas, quam apud Lysiam minime ferendam esse arbitror. Reperiuntur quidem apud illum interdum vocabula tropice adhibita [3]), sed illud *τῶν ἀδικημάτων* Lysiae tamquam audacissimum vix ego vindicare ausim. Foertschius [4]) non dubitat, quin Lysias scripserit: *τῶν ἀδίκων χρημάτων* cum moneat facillime e verbis *ἀδίκων χρημάτων* per compendium scriptis *ἀδικημάτων* fieri potuisse. Attulit similem quoque emendationem, quam Bekkerus recepit: „in inscriptione illa or. XVII verba *τῶν δημοσίων ἀδικημάτων* Marklando et Tayloro [5]) suspecta videntur, fortasse etiam illo loco *τῶν ἀδίκων χρημάτων* scribere praestat.“ Sed tamen reputandum est etiam *τῶν ἀδίκων χρημάτων* tropice

---

1) Dobreus vult pro *τοῦ ἀδικεῖν* — *τὸ ἀδικεῖν.* Pro *τοὺς πάντας,* quod cod. X. exhibet, opus est scribi *τότε πάντες.*

2) Plato de legg. X 906 d. *εἰσὶ συγγνώμονες ἀεὶ θεοὶ τοῖς ἀνθρώπων ἀδίκοις καὶ ἀδικοῦσιν, ἂν αὐτοῖς τῶν ἀδικημάτων τις ἀπονέμῃ καθάπερ εἰ κυσὶ λύκοι τῶν ἁρπασμάτων σμικρὰ ἀπονέμοιεν.* Plat. de rep. II 363 E. (alias 364 B): *ἀδικητέον καὶ θυτέον ἀπὸ τῶν ἀδικημάτων.*

3) Blass. Gesch. att. Beredtsk. pag. 401.

4) Commentatio critica etc. Lipsiae p. 26.

5) Hi viri proponunt *δημοσίων χρημάτων.*

esse dictum [1]), quamvis metaphora non tanta sit quanta *τῶν ἀδικημάτων*. Quapropter in Foertschii coniectura non acquiescendum erit. Scheibius [2]) Pollucis et Harpocrationis adnotationibus nixus *τὰ ἀδικήματα* in huiusmodi locis in universum pecunias praeter ius fasque sive publice sive privatim surreptas significare, sibi persuasum habet. Quod improbandum videtur, cum bis tantum sic adhibeat Lysias illam vocem — respicias autem sextam orationum Lysiacarum partem in causis aerarii habitam esse, quibus in causis sexcenties de pecunia iniuste aerario erepta orator queritur, quam bona igitur vocabuli illius adhibendi occasio oratori fuit! Quo cum Lysias non sit usus, Scheibii coniectura haud verisimilis videtur. — Hirschigius *ἀδίκων λημμάτων* proposuit [3]) quod probabile certe atque ferendum est; equidem cum operam navaverim, ut probabilius aliquid hic enucleem, in suspitionem incidi Lysiam scripsisse fortasse: *μέρει τῶν δι᾽ ἀδικημάτων* (scilicet *ὑπαρχόντων*). Nam in scriptura maiuscula *ΤΩΝΑΔΙΚΗΜΑΤΩΝ* facile *δι* omitti posse librariorum incuria palaeographiae peritum fugere non potest, quod et *δι* saepe per compendium scribi solebat et in tanta similitudine literarum *Α* et *Δ* semel poni poterat *ΔΙ* pro *,ΔΙ·Α,ΔΙ·ΚΗΜΑΤΩΝ*. Quod mihi saltem aliquam habere videtur probabilitatem. Sed quaeritur, num *ὑπαρχόντων* vel *ὄντων* vel tale quid omitti potuerit; quod ego crediderim, cum Kruegerus in graecae grammaticae §o 50, 12 dicat: „Die Substantivirung des *τὸ* u. *τὰ* mit Präpositionen ist viel ausgedehnter, als die des Masculins", inde sequuntur plura exempla, quae me, ut illud coniciam, adduxerunt [4]). Ac porro Batavus sententiam §i septimae, quae est Nicomacheae §o XXIII simillima: *κοσμιωτέρους ποιήσετε ἢ νῦν εἰσι* peius in nostra oratione expressam esse censet motus verbis *ἢ νῦν εἰσι,* quae quamvis per se non sint necessaria, totam tamen illam sententiam cur depravent, demonstrare non ausim; immo haec verba eicienda

---

1) cf. Euripid. Helen. v. 905 *Ἐατέος δ᾽ ὁ πλοῦτος ἄδικός τις ὤν.*

2) Observationes in oratores atticos, programma Halis 1836 pag. 35.

3) Miscellanea, Amstelodami 1850.

4) Pro *ἔχουσι*, Turic. Westerm. Bekk. habent futurum *ἕξουσι*. *Ὀφθῶσι* Hirschigio non placet, proponit *ληφθῶσι*, quod ne verisimile quidem cf. § 3 *καὶ οὐ νῦν πρῶτον ὤφθησαν κτλ.* cf. Müller pag. 14. Pro *ποιήσετε* male Halbertsma *ποιήσατε.*

plane sunt Rauchensteinio auctore[1]) cum explicatio veteris rhetoris videatur esse postea in textum inculcata; similem interpolationem habemus in §o 19 orat XXII. et alibi[2]).

§ 8. Lusus in verbo *ἄκριτος* „*ἡγοῦμαι — οὐκ ἂν ἀκρίτους αὐτοὺς ἀπολωλέναι*“ ait Franckenius p. 203 hic nullam necessitatem habet, tamen eiusmodi usum a Lysiae more haud alienum esse concedit afferens locum orationis in Agoratum (XIII § 86—87), quo verborum lusus positus est in *ἐπ' αὐτοφώρῳ*, cum orator ambiguitate illius termini technici cavilletur: *Οὐκ οὖν ὁ αἴτιος τοῦ θανάτου οὗτος ἐπ' αὐτοφώρῳ ἐστί; τίς οὖν ἄλλος αἴτιος ἢ σὺ ἀπογράψας; ὥστε πῶς οὐκ ἐπ' αὐτοφώρῳ σὺ εἶ ὁ ἀποκτείνας; Ἐπ' αὐτοφώρῳ* primum „in conspectu omnium, in ipso delicto“ dein modo paullulum detortum per *κατάχρησιν*[3]) notionem „sine dubio, palam“ significat. Totus autem locus orationis Agorateae suspectus et ita corruptus est, ut Scheibius desperatum ac saepe tentatum eum appellet, cum in nostro Epicrateae loco nemo hucusque haeserit praeter Franckenium. Itaque non sibi constat Batavus, cum illum locum orat. XIII corruptum retineat ac defendat, hunc autem simplicem Epicrateae lusum utique suspectum esse velit. Verum enim vero plures invenies apud Lysiam lusus inter verba diversae notionis, sed similis paene literarum compositionis: Ita inter *βουλεύειν* et *δουλεύειν* or. XXXI. §o 26: *Οὐ περὶ τοῦ βουλεύειν, ἀλλὰ περὶ τοῦ δουλεύειν ἐκκλησιάζοιτε.* Dein habes cavillationem in §o tricesima altera orationis in Diogitonem habitae: *Ἐπίτροπος τῶν παίδων καταλειφθείς, ἵνα γράμματα αὐτοῖς ἀντὶ χρημάτων ἀποδείξειε.* (cf. Blass. p. 405). Habemus igitur non modo lusum in ambiguitate unius verbi, sed etiam — id quod artificiosius est — in duobus verbis enuntiando similibus [figura *παρόμοιον*]. Si Frankenius lusum in verbo *ἄκριτος* — certe hic facilis est ad intelligendum — non necessarium vituperat, tamen inde non consequitur momentum, quod, ut orationem spuriam habeamus, efficere possit. —

1) Müller progr. Mersebg. 1862 pag. 12.

2) Exempla collegit Müller progr. pag. 14. — §i septimae loci similes sunt Lys. 30. pag. 185, 23 R. c. Eratosth. p. 123, 19. c. Frument. p. 166, 5. Andoc. I. pag. 14, 12.

3) De hoc usu egit Rauchenstein Orat. select. lys. in prooemio ad or. XIII.

Sed omnino tota argumentatio a §o octava usque ad §um nonam e Franckenii sententia abesse potuit! Quid? qua causa adductus hoc iudicium Franckenius profiteatur, equidem non plane intellego. Etenim crediderim haerere eum in conexu sententiarum sequentium *πῶς γὰρ κτλ.*, in qua multi haesitavere interpretes; sed ipse Batavus argumentatur inter priora et illa, quae sequuntur aliquem — etsi malum — intercedere nexum (p. 197). Neque tamen illi assentior de malo nexu, sed de hac quaestione infra agemus in refutanda Hamakeri coniectura. Quod ipsam sententiam illarum §§orum attinet, nec tautologia, nec languida nec verbis inepte expressa est, ita quidem, ut non solum ferri possit, sed mihi iterum atque iterum perlegenti Lysiae generi dicendi plane accommodata videatur esse[1]).

§ 12. Infinitivum *ἐξαιτεῖσθαι* iam Reiskius maluit pro *ἐξαιτεῖσθε*, quod cod. Palatinus manifeste corruptum exhibet. Cod. Laurentianus praebet indicativum *ἐξαιτήσονται*, quem Bekkerus Turicensesque receperunt. Infinitivum contra recepit Westermannus et Scheibius, qui addit: „Nisi statuere velis e superiore verbo *ποιήσουσιν* infinitivum *ἐξαιτεῖσθαι* pendere, pro illo aut *ἐπιχειρήσουσι* vel *ζητήσουσι* substituendum aut tale verbum alicubi excidisse putandum erit[2]). Kayserus totum locum sic restituendum putat: *εἰθισμένοι οἱ δημόται καὶ φίλοι καὶ κλαίοντες ἐξαιτήσονται* mutato *καὶ*, quod in textu ante *δημόται* et posito articulo *οἱ*. Sed cur illo tertio *καί* ante *κλαίοντες* hic indigeamus, mihi non liquet. Nisi in codicis C scriptura *ἐξαιτήσονται* subsistere placet, Iusti Hermanni Lipsii[3]), praeceptoris reverendi, coniecturam sequi praestat. Hic enim vir doctissimus: „Cum infinitivus pendeat, ait, ex *ἦσαν εἰθισμένοι* nulla mutatione opus videtur, nisi ut *καί* vocula, quae ante *δημόται* est, in articulum mutetur, ne *ποιή-*

---

1) Post verba §i 8 *δίκην δεδωκέναι* addit Kayser *δοκεῖν*, probabiliter, ut Scheibius ait, sed tamen non necessarium est. — § 9. Ex Hamakeri Batavi sententia verbis *Πῶς γὰρ* alterum fragmentum, quod §o prima finitur, continuatur. *ἐκ πλουσίων* ante *πένητες* inserit Herwerden. — § 11. Dobreus admonet „Conferas hunc locum cum Demosth. or. Olynth. *Γ* §o XXIX: (p. 36 R) *Ἀποβλέψατε δὴ πρὸς τοὺς ταῦτα πολιτευομένους, ὧν οἱ μὲν ἐκ πτωχῶν πλούσιοι γεγόνασι, οἱ δὲ ἐξ ἀδόξων ἔντιμοι, ἔνιοι δὲ τὰς ἰδίας οἰκίας τῶν δημοσίων οἰκοδομημάτων σεμνοτέρας εἰσὶ κατεσκευασμένοι.* Post *καίτοι ἑτέροις* addit *μέν* Halbertsma.

2) Id iam Marklandus et Reiskius suspicati sunt. Or. gr. V. p. 813.

3) Quaestionum Lysiac. specimen, Lipsiae 1864 p. 8. nota.

σουσιν verbum ad ipsos reos referatur, de quibus solis adhuc dixerat orator." Non video cur Franckenius hic *ἐξαιτεῖσθαι* infinitivum epexegeticum esse statuat atque Thucydidis locum (I, 77, 4) conferat, cum nihil sit simplicius, quam ut infinitivum ex *εἰθισμένοι* pendere statuamus. Porro offendit Franckenium accusativus *αὐτούς,* quod quo in generali sensu referatur, non appareat, ideoque *τοὺς φεύγοντας* aut *τοὺς οἰκείους* exspectaverit. Quod cum non legatur, „leniore medicina" pro *αὐτούς τοὺς αἰτίους* legendum esse statuit; Sed quid? Quem tandem effugere potest accusativum illum obiectivum *αὐτούς* ad nihil aliud, nisi ad r e o s posse referri? id, quod e toto illo loco luce est clarius. Cum igitur minime indigeamus illa Franckenii coniectura admodum audaci, in scriptura *ἐξαιτεῖσθαι αὐτούς* bono animo acquiescendum est.

§ 13. *Ὥστ᾽* receperunt Turicenses, Westermannus, Scheibius; *ὥστε* Marklandus, Bekkerus. Codices exhibent Palatinus *ἴσως τε,* Laurentianus *καὶ ἴσως.* Vocabulum *ἴσως* hic sensu caret, natum autem est e vitio librarii, corruptum sane in maiuscula litteris *ι ς* bis positis ex *ἀδικουμενο ,ΙΣΙΣ'ΩSTE.* Scriptura Laurentiani demonstrare mihi videtur — de quo nunc inter omnes plane constat — hunc codicem minoris aetatis, quam Palatinum esse; aliter enim illud *καί* vix explices[1]). Hac in §o Franckenius pro *αἰτήσονται* vult legi *ἐξαιτήσονται* his nisus rationibus: *ἐξ* et *δι* per compendium scripta ita sunt similia, ut vix dignosci possint, hoc *δι* deinde omissum est quod non intellegebatur." Sed non video cur Lysiae non licuerit verbo simplici uti, praesertim post compositum paullulum antecedens *ἐξαιτεῖσθαι?* Cum Nicomacheae quoque §o tertia simplex verbum inveniatur atque hic optimam sententiam exhibeat, Batavus argutius, quam cautius coniecisse videtur. —

§o 14 bis invenimus verba *ἔ τ ι δ ὲ,* priore quidem loco suo iure leguntur, altero vero Dobreus Reiskium secutus *ἔστιδὲ* rectam esse scripturam censet, cum *ἔτι δὲ* e superiore fluxisset. *ἔστι δὲ* nuperrime Bakius recepit, Foertschius[2]) se ad eandem applicavit scripturam hanc fere proponens ratiocinationem: „Altero loco verba *ἔτι δὲ* ante *ῥᾷον* male se habent; senten- „tiam enim, quae per *ἔτι* adiungitur, si cum praecedente com-

1) cf. Emperii opusc. philol. p. 56. Gottingae 1847.

2) Commentationis criticae pag. 62.

„paraveris videbis non diversam et novam esse (quales per „ἔτι δὲ indicantur) sed ipsam illam priorem tantummodo uni„verse expressam: sin vero cum Bakio ἔστι δὲ scribamus, „orator his verbis sententiam reorum ut universalem proponit „confirmatque: „isti nos implorabunt rati se illam gratiam „facilius a nobis paucis obtenturos esse, quam a vobis: et „sane facilius est etc.“ Nolim ἔστι δὲ recipere facioque cum ceteris viris doctissimis, qui illud prorsus reiecere. Recepto enim ἔστι δὲ structura longe fit alia, cum periodus in duas partes dirimatur; praeterea ἔτι δὲ hic novum quodammodo addit momentum: „Isti nos precibus obtestabuntur, cum pauci simus, deinde quoniam nos accusatores facilius vestra commoda, quam vos ipsos, neglecturos esse appareat.“ — Franckenius (p. 204) argumentationem §i quartae decimae perturbatam esse vituperavit neque vero accuratius id explicavit; suspicor autem eum haerere in futuro illo δεήσεσθαι cui non respondet sequens aoristus οὐκ ἠθελήσαμεν, pro qua forma ratio οὐκ ἂν ἐθελήσαιμεν postularet. Facere non possum, — ut haec praemittam — quin cum Scheibio[1]) hic quidquam deesse suspicer existimemque latere vitium et labem in illis quae antecedunt verbis ἔτι δὲ ἡγεῖσθαι χρὴ δεήσεσθαι. Pro hoc futuro δεήσεσθαι multae a viris doctis emendationes prolatae sunt, quarum nomino potissimum Emperii: δεήσασθαι [2]), quam aoristi formam inauditam recepit Westermannus; Kayserus contra usitatum aoristum δεηθῆναι proposuit. Scheibius, quem Turicenses secuti sunt, scripturam traditam δεήσεσθαι in textum recepit; hanc vulgatam nuper rursus defendit Dryander p. 18. Δεηθῆναι recipere Scheibius recusavit, cum ex hac forma, vulgatam δεήσεσθαι natam esse non sit verisimile. Muellerus in programmate illo Merseburgensi proposuit δεδεῆσθαι, ad quam formam etiam Cobetius Batavus sese applicavit. Neque negari potest, facilius ex δεδεῆσθαι fieri δεήσεσθαι quam e forma δεηθῆναι, praeterea invenitur illud δεδεῆσθαι haud raro apud oratores atticos[3]). Nisi igitur locum

1) Apparatus criticus ad Lysiae editionem Lipsiae 1872, pag. LXII.

2) Opusc. philol. p. 94 et p. 315.

3) cf. Demosth, XIX. 239. Καὶ γὰρ εἰ τινῶν δεδέηνται τουτονὶ σώζειν. Isaeus VIII. 22. δεδεημένη γὰρ εἴη ταῦτα ποιεῖν ἡ τούτου ἀδελφή. Xenoph. Anab. VII. 7. 14. ὅτι δεδέηται ἡ στρατιὰ συναναπρᾶξαι τὸν μισθόν.

illum labem contraxisse putandum est, equidem δεδεῆσθαι in textum velim recipere [1]).

Huius paragraphi sensu est simillimus locus Nicomacheae: §us 35. Quae cum ita sint, Franckenius in Nicomachea omnia illa apta, in Epicratea alieno loco inserta esse contendit, quod num verum sit, breviter liceat indagare. Verba exstant in Nicomachea haece: ἡμεῖς μὲν τοίνυν οὐκ ἠθελήσαμεν ὑπὸ τούτων ἀξιούμενοι πεισθῆναι, τὸ δ' αὐτὸ τοῦτο παρακαλοῦμεν ὑμᾶς. In Epicratea legimus: ἡμεῖς μὲν τοίνυν οὐκ ἠθελήσαμεν προδοῦναι, ἀξιοῦμεν δὲ μηδ' ὑμᾶς. Verba Nicomacheae Franckenio videntur meliora, quam Epicrateae, sed ut mea quidem fert opinio, verba ὑπὸ τούτων ἀξιούμενοι inter ἠθελήσαμεν et infinitivum dependentem ex eo πεισθῆναι posita, nemo desiderabit, cum supra iam exposuerit orator: §o 34. πολλὰ δεηθέντες τῶν κατηγόρων ἡμᾶς οὐδαμῶς ἔπεισαν. Atque in ipso verbo ἀξιοῦν passive adhibito, de cuius varia et mira notione egit Buttmannus [2]), non rara ansa est dubitandi. Nicomacheae autem locum sic in linguam vernaculam tradi opus est: „Wir haben uns nicht überreden lassen wollen, obwol wir von ihnen aufgefordert wurden.“ Ἀξιοῦν haud raro quidem postulandi notionem habere docent loci: Plat. Menex. 239 οὐκ ἀξιοῦμεν δεσπόται εἶναι κτλ. Plat. Apol. 19 D. Demosth. Mid. § 14; num vero saepius illud verbum abeat in notionem „provocandi“ vel „petendi“ equidem dubitaverim. — In Epicrateae verbis offendat fortasse illud προδοῦναι sine accusativo obiectivo positum, cum in Nicomachea aoristo passivo πεισθῆναι adhibito nihil desideraveris. Sed tamen in Epicratea facillime suppleas ex antecedentibus accusativum τὰ ὑμέτερα: ἔτι δὲ ῥᾶον ἄλλους τινὰς τὰ ὑμέτερα καταχαρίζεσθαι ἢ ὑμᾶς αὐτούς γε· ἡμεῖς μὲν τοίνυν οὐκ ἠθελήσαμεν προδοῦναι sc. τὰ ὑμέτερα. Tota vero haec periodus ἡμεῖς οὐκ ἠθελήσαμεν — ἀξιοῦμεν δὲ μηδ' ὑμᾶς Lysiaco generi dicendi videtur aptissima, etenim haec antithesis tam est acuta, ut chiasmi figuram praebeat, cui figurae optimus hic locus

---

1) Hac in §o exhibent libi ὑμέτερα. Sed Westerm. Turic. Scheib. articulum ponunt, nam est necessarius cfr. Krueger § 50. 4. — αὐτούς γε habent omnes fere editiones; cod. Pal. e Kayseri lect. αὐτό γε, quod ferri nequit.

2) Demosth. orat. in Midiam ed. Philipp Buttmann, Berlin 1864. cf. Indicem pag. 165 sq.

est. — Reprehendit porro Franckenius finem illius periodi, verba ὅπου παρεπίπτομεν ὡς εἰκὸς τοὺς ἀδικοῦντας (sc. ἐπιμωρεῖσθε). Iam Tayloro locus procul dubio fuit mendosissimus. Markl. παραπίπτειν vult esse „partes mutare" quod hic prorsus ineptum videtur. Melius iam Reiskius (Or. graec. V, p. 814) proposuit „in manus incurrere", cum vertat totum hunc locum: „ubicumque locorum vestras in manus incurreremus." Mirum certe videri hunc usum illius παραπίπτειν infitiari non possum atque in hoc verbo unica restat difficultas ad solvendum. Memini loco quodam Xenophontis me legere illud παραπίπτειν; cumque quaererem, inveni in Hellenicorum libri I cap. VI. §o sexta: φίλων διαθορούντων) ὅτι Λακεδαιμόνιοι μέγιστα παραπίπτοιεν ἐν τῷ διαλλάττειν τοὺς ναυάρχους, quod egoquidem vertam: „Lacedaemonios multum errare in nauarchis conciliandis." Sed num illa notio apud Lysiam adhiberi possit hoc loco, equidem valde dubito ita, ut hanc quaestionem in medio relinquere velim. Ceterum largior Batavo, satis verbosum quidem hunc esse locum, sed tamen cavendum est ne nimium brevitatem loquendi apud Lysiam urgeamus, exemplum ubertatis invenies in orationis contra Ergoclem[1]) §o tertia et in or. XXXI. §o 17[2]). — Cur vero Franckenius fortuiti significationem, ut hoc modo addam, in verbo παραπίπτειν hic utique ineptam esse vituperet, neque ipse dicit neque suspicari possum[3]).

---

1) cfr. Blass. eloq. attica pag. 403.

2) Plura e Lysia exempla coll. Foertsch. Com. critica Lipsiae 1827 p. 27 sq.

3) § 15. εἰ ἡμεῖς παρὰ τούτων] necessarium est ἡμεῖς antitheseos causa; X[K] exhibet ὑμεῖς vitiose. Dobreus: „Non fero τοὺς ἀδικοῦντας, „quod oppositioni nocet et e sequenti huc tractum (?), malim ὥσπερ εἰκός „vel ὡς εἰκός ἐστιν deletis illis. Deinde εἰ δικαίως τοῖς μὴ ἐπεξιοῦσιν „(vel τοῖς μὴ ἐπ. δικαίως) vel sine δικαίως, quod malim." — Est autem sensus hic: Si illis irasci soletis, qui accusationem non ea, qua par est fide persequuntur etc. cf. Reisk. Or. gr. VI p. 615. Ita omnes editores retinuere et τοὺς ἀδικοῦντας et δικαίως, quod vocabulum suo iure refertur solum ad ἐξιοῦσιν.

§ 16. Ἐπικράτους Müller p. 14 delere vult ratus orationem hanc non in Epicratem, sed in eius socios tantum habitam esse (?). — Libri exhibent τιμωρήσατε, quod iure Stephanus correxit in τιμήσατε nam hoc solum ex usu linguae graecae teneri potest cfr. XXVII, 7. XXX, 23. — εἰθισμένοι ἐστέ. Cobetius: εἰθισμένοι ἦστε. Hoc verbum e Franckenii opinione abesse debebat; (p. 199) sed cur utique delendum sit, non dicit. οὐδὲν ἄλλο ποιεῖτε] verbum ποιεῖτε hic Herwerdenus eiecit. —

Ultimum denique vitium est, quod Fr. in oratione Epicratea vituperat (p. 204) „quod accusatio tam est infinita et tam pauca facta continet, adeo errat et vagatur inter accusatos et defensores, quorum utrique pronomine *οὗτοι* significantur, ut parum limpida sit.“ His in verbis vera quidem insunt, sed quid mirum, quod infinita et obscura nobis videtur accusatio, si totam orationem, quae nobis exstat, fragmentum — ultimam partem primariae orationis [1]) — idque valde mutilatum esse reputamus? De accusatione in priore dissertationis particula egimus, in Schoellii illa de syndicis et syllogis commentatione multa probabilia sunt proposita, quae caliginem, in qua haec latere videtur accusatio, illustrent. Sed nunc quo iure et reos et defensores eorum utrosque pronomine *οὗτοι* compellari Batavus opposuerit, indagari oportet: Pronomen *οὗτοι* plurali numero invenitur in Epicratea undevicesies excepto loco § VIII, ubi *οὗτοι περὶ ὧν* generaliter pro latino frequentativo „quicunque“ usurpatur.

§o 1. *τούτων λεγόντων* nempe pertinet ad reos.

§o 2. *διὰ τούτων* nisi neutrius pluralis genus statuas [2]) pertinet ad reos. *τούτοις, οὗτοι, οἱ τούτων λόγοι* nimirum ad reos.

§o 3. *οὗτοι φύλακες ὑφ' ὑμῶν καταστάντες* ad reos.

§o 4. *πρὸς τούτους* scilicet reos. *τούτου* ad Epicratem spectat.

§o 6. *παρὰ τούτων δίκην λαβόντες* certe de reis dicit Lysias.

§o 7. *ἀποψηφιεῖσθε τούτων — παρὰ τούτων δίκην εἰληφότες ἔσεσθε.*

§o 8. *τούτων τὰ πράγματα κατηγορεῖ* reos ipsa facta accusant.

§o 9. *οὗτοι πλούσιοι γεγόνασιν — ὑμεῖς διὰ τούτων πένητες.*

§o 11. *οὗτοι κλέπτουσι* certe rei! — *ὥςπερ ὑμεῖς τὰ τούτων μισθοφοροῦντες ἀλλ' οὐ τούτων τὰ ὑμέτερα κλεπτόντων.*

§o 13. *εἰ ἀδικεῖν τούτους μηδὲν νομίζουσιν* scil. „si nihil mali reos fecisse opinantur eorum defensores.“

---

1) De hac re infra plura dicemus.

2) Ita Reisk. V. p. 808, 6. et Falk Lysias p. 307.

§o 15. *εἰ ἡμεῖς παρὰ τούτων ἢ χρήματα λαβόντες ἢ ἄλλῳ τινὶ τρόπῳ διηλλάγημεν.* Solus hic est locus, quo dubium esse possit, utrum illud *τούτων* referas ad reos an ad eorum defensores. In antecedentibus §§is orator reorum defensores increpat: §o 14 *τοὺς αὐτούς* referri debet ad *δημόται καὶ φίλοι* „eidem enim (defensores) vehementer accusatores „precibus obtestabuntur etc., sed n o s accusatores (publicam „salutem) non prodidimus exspectamusque nec v o s, iudices, „ratos aegre vos esse laturos, si nos pecunia vel alio modo ab „illis (scil. *φίλοις καὶ δημόταις*) conciliari passi essemus.“ Hoc loco *τούτων* ad defensores p o t e s t referri — id Franckenio largior — sed non opus est, nam si tecum reputaveris pecuniam ad corrumpendos accusatores impensam defensoribus certe a reis datam esse, non infitiabere illud *τούτων* etiam ad reos — et id melius videtur — referri, itaque latiore verbi usu ad utrosque simul defensores et reos pertinet. Cum autem a fine §i XII, ubi introducuntur amici defensoresque petituri, argumentatio satis sit „limpida“ et concinna, concidit illa Batavi suspitio, quam e pronominis *οὗτοι* usu „promiscuo“ hauserat.

Iam vero Dobreus (in adversariis criticis) similia multa in hac oratione et in Nicomachea (XXX) exstare animadvertit. Quae cum iam infra demonstrantes partim attigerimus, tamen nos omnia illa sub unum conspectum proponere oportet, atque locos potissimum hosce:

oratio XXVII § 5.	oratio XXX § 24.
Καίτοι τοῦθ᾽ ἅπαντες ἐπίστασθε ὅτι οὐχ ὅταν τοὺς μὴ δυναμένους λέγειν κολάζητε, τότ᾽ ἔσται παράδειγμα τοῦ μὴ ὑμᾶς ἀδικεῖν, ἀλλ᾽ ὅταν παρὰ τῶν δυναμένων λέγειν δίκην λαμβάνητε, τότε πάντες παύσονται ἐπιχειροῦντες εἰς ὑμᾶς ἀδικεῖν.	*Ἐπίστασθε ὦ ἄνδρες δικασταί, ὅτι παράδειγμα τοῖς ἄλλοις ἔσται μὴ τολμᾶν εἰς ὑμᾶς ἐξαμαρτάνειν οὐχ ὅταν τοὺς ἀδυνάτους εἰπεῖν κολάζητε, ἀλλ᾽ ὅταν παρὰ τῶν δυναμένων λέγειν δίκην λαμβάνητε.*
XXVII § 7.	XXX § 23.
Ἐὰν δὲ καταψηφισάμενοι θανάτου τιμήσητε τῇ αὐτῇ ψήφῳ τούς τ᾽ ἄλλους κοσμιωτέ-	*Ἐὰν δὲ καταψηφισάμενοι τῶν ἐσχάτων αὐτῷ τιμήσητε τῇ αὐτῇ ψήφῳ τούς τ᾽ ἄλλους βελ-*

ϱους ποιήσετε, ἢ νῦν εἰσὶ καὶ παρὰ τούτων δίκην εἰληφότες ἔσεσθε.	τίους ποιήσετε καὶ παρὰ τούτου δίκην εἰληφότες ἔσεσθε.
XXVII § 15.	XXX § 35.
Ἡμεῖς μὲν τοίνυν (scil. οἱ κατήγοροι) οὐκ ἠθελήσαμεν προδοῦναι, ἀξιοῦμεν δὲ μηδ' ὑμᾶς κτλ.	Ἡμεῖς μὲν τοίνυν οὐκ ἠθελήσαμεν ὑπὸ τούτων ἀξιούμενοι πεισθῆναι, τὸ δ' αὐτὸ παρακαλοῦμεν ὑμᾶς.

His igitur, quae inter orationes in Epicratem et in Nicomachum intercedunt similitudinibus, quibus etiam similis utriusque orationis peroratio XXVII 13—16. et XXX 31—35. adnumeranda est, Franckenius sibi habet persuasum „Epicrateam ex Nicomachea imitatione expressam esse; non contra.“ Quamvis tempus [1]), quo utraque oratio habita videtur esse, non impediat, quominus illud statuamus, tamen Batavo minime assentiri possum. Scimus enim iam veteribus criticis suspectam fuisse orationem Nicomacheam: Harpocratio s. v. ἐπιβολή ait Λυσίας ἐν τῷ κατὰ Νικομαχίδου[2]) εἰ γνήσιος at vero Epicrateam nemo veterum non genuinam habuit neque recentiorum criticorum hucusque praeter Franckenium quisquam. Quamvis observationes de oratione XXX factae ad caliginem dispellendam non satis esse videantur, ut ait Scheibius, tamen nuperrime Schoemannus [3]) causas, quibus motus Harpocratio illud εἰ γνήσιος, obelum quodammodo suum, addiderit, modo primis lineamentis indicavit. Quae causae sunt gravissimae, praeterea veterum iudicium mea quidem opinione in diiudicandis orationibus semper nobis debet esse maximi momenti; ita non facio cum Franckenio, qui illis omnino neglectis Nicomacheam Epicrateae utique praeferre vult. Si quidem illam, quae inter illas orationes intercedit similitudinem ausis explicare, obelo Harpocrationis nisus potius credideris

1) Epicrateam habitam esse intra annos 390—387 proposui pag. 14. Nicomacheam Scheibius (praef. ad Lys. p. 85) posuit in anno a Chr. n. 399. Ol. 95, 2.

2) Νικομαχίδης forma pro Νικόμαχος legitur §o 11. cfr. Foertsch. Com. pag. 34. Scheibe. Apparat. critic. pag. LXIV.

3) Antiquitates (editio III. 1873) pag. 584: Diese Rede gegen N. erscheint mir sehr bedenklich nach der Charakteristik des Dionysius über Lysias c. 18. Reisk. p. 493. — Nicht allein Sprache und Form ist auffällig, sondern auch besonders der Inhalt ist sehr unwahrscheinlich.

fortasse (contra Franckenium) Epicrateam genuinam, fictam vero esse Nicomacheam. Sed tamen loci illi inter sese similes exhibent sententias tam communes — ne dicam vulgares et tritas — quae illo tempore in Atheniensium foro certe sexcenties audiebantur, ut mihi eiusmodi loci minime persuadere possint alteram ex altera oratione esse expressam. Hanc sententiam ipse Franckenius profitetur, (p. 220) verbis tamen, opinor, ineptis: „Quod loci communes inveniuntur „nullam habet vim demonstrandi nisi simul ostendatur, alieno „loco esse interpositos, ut prodant dormitantem aut ineptum „rhetorem, qui locos undecunque congerat, ut iustum ambitum „declamatio accipiat.“ — Vidimus igitur omnia fere illa momenta ac rationes, quae Franckenius attulit, non esse talia tamque gravia, ut iudicium, quod de illa oratione professus est: „Suspicor opus esse subditicium rhetoris cuiusdam non pessimi, qui flosculis e Lysia et Demosthene decerptis declamationem hanc ornaverit“ probare cogeremur.

Iam vero restat, ut demonstrem, multa in Epicratea inesse, quae genuinam eam esse satis confirment. Si quis exploraturus est, utrum oratio genuina an spuria sit, apprime ei spectandum est veterum criticorum iudicium de genere dicendi, de virtutibus, de vitiis Lysiae. Cuius autem viri docti temporis antiquioris iudicium maioris debet esse momenti, quam Dionysii Halicarnassensis, qui quidem de Lysia circumspectum et subtile iudicium composuerit? Neque igitur erit a re alienum in memoriam breviter revocare, quae Dionysius Halicarnassensis imprimis indicia Lysiacae dictionis propria esse docuerit [1]. In Lysiae igitur genere dicendi, quod tenue genus ἰσχνὸν γένος esse satis superque notum est [2], Dionysius virtutes adnotat hasce:

Est pura [3]) elocutio, quod Lysias verba in attico sermone usitatissima modo posuit atque antiqua illa Platonis et Thucydidis rara et insolentia verba fugit. Quam virtutem in nostra oratione exstare, qui eam accurate perlegit, infitiari

---

1) Dionysius Halic. de Lysia iudicium edidit Reiskius vol. V. operum Dionysii pag. 454 cap. 2—10. Lipsiae 1775.

2) De tenui genere dicendi Lysiae nuper egit magna subtilitate Friedrich Berbig. Programm v. Küstrin 1871.

3) Dionys cap. 2. Cic. Brut. § 35. Orat. 76, 100. Blass att. Beredtsk. p. 383.

non potest. Berbigius pag. 13 integritatem impugnare putat verba: §i 6 ἢ μέρει τῶν ἀδικημάτων τὸν κίνδυνον ἐξεπρίαντο et §i 11 ὥσπερ ὑμεῖς τὰ τούτων μισθοφοροῦντες.

Altera elocutionis Lysiacae virtus est: ἡ διὰ τῶν κυρίων τε καὶ κοινῶν καὶ ἐν μέσῳ κειμένων ὀνομάτων ἐκφέρουσα τὰ νοούμενα[1]) ἥκιστα γὰρ ἄν τις εὕροι Λυσίαν τροπικῇ φράσει χρησάμενον. Peculiaribus, igitur usitatis verbis et iis unicuique perspicuis sententias exprimens omnem tropicum et translatum verborum usum vitare studet. Si hoc praeceptum num nostra in oratione observatum sit examinaverimus, nihil ab eo inveniemus abhorrere nisi vocis ἀδίκημα usus, quae §o 6 translaticio sensu exstat pro „pecunia iniuste conquisita." Mirum in modum hoc Dionysii iudicio repugnat ac tamen — nisi coniecturae ullus locus tribuendus est, quod equidem malim — consistunt plures editores in hac scriptura μέρει τῶν ἀδικημάτων, cum codices eam exhibeant. Cicero[2]) quidem oratori tenuis generis aliquem modum translatae dictionis concedit, quamvis illum oratorem omnem ornatum figurasque vitare deceat — tamen ille usus ἀδικημάτων in Lysia, ut iam supra monui, minime ferendus est; certe locus ille corruptus exstat, qua propter mirus illius vocabuli usus Lysiae neque vitio neque negligentiae tribuendus videtur.

Tertium est, quod Dionysius in Lysiae genere dicendi laudabile efferat[3]): ἡ σαφήνεια οὐ μόνον ἡ ἐν τοῖς ὀνόμασιν ἀλλὰ καὶ ἡ ἐν τοῖς πράγμασιν. Huius vero perspicuitatis et elegantiae in eo causa est, quod apud Lysiam ipsae res verbis non serviant, sed ultro rem verba ipsa sequantur. Quis vero nostratium hodie hoc Dionysii iudicium sine ulla dubitatione approbare ausit? Etenim in multis orationibus de rebus principalibus ambigitur, quae sit formula γραφῆς, quod scelus reus commiserit, quae poena constituta fuerit, num oratio sit πρωτολογία an δευτερολογία et alia id genus. Quantum spatium ad divinandum in Lysiacis quaestionibus patet! Quid? quod orationes Lysiae, ut nunc exstant, tam longe ab illo Dionysii iudicio abhorreant, causae adsunt haud paucae: Omnino

1) Dionys cap. 3.

2) Cic. Or. § 81. Tenuis orator modo sit elegans nec in faciendis verbis erit audax et in transferendis verecundus etc.

3) Dionys cap. 4.

id certe constat, veteribus multa fuisse clara ac perspicua, quae nos per spatium duorum milium annorum ab illis rebus forensibus remotos prorsus lateant. Quod cum haud mirum sit, etiam multa tribuenda erunt librariorum et incuriae et ignorantiae in describendis orationibus, multum denique imputandum erit temporum vicissitudinibus, quae codices orationum graviter afflixerunt. Quae cum nobiscum reputemus ad nostram orationem veteris critici iudicium non accommodatum esse non mirabimur[1]).

Quarta virtus Lysiae, quam Dionysius adnotavit, est[2]): *ἡ συστρέφουσα τὰ νοήματα καὶ στρογγύλως ἐκφέρουσα λέξις.* Sententias igitur in compendium contrahit ac tamen expolite eas effert. Id in nostra oratione fieri intellegemus, si conferamus Berbigii programma (p. 10), quo loco vir ille doctus compositionem nostrae orationis examinavit atque periodos in singula *κῶλα* accurate disposuit. Interdum oratio Epicratea sententias exhibet tam presse dictas[3]), ut difficile inter se coniungi posse videantur. Multa prorsus non intellegemus ita, ut ad antecedentia, quae nobis omissa sunt, referre cogamur ideoque haec oratio non plena sed finis, peroratio maioris et primariae quidem orationis videtur esse. — Ceteras vero virtutes quas Dionysius in Lysia laudabiles efferat *ἐναργείαν*[4]) evidentiam ac vigorem in rebus narrandis, *ἠθοποιΐαν*[5]), quam maxime propriam esse Lysiae virtutem scimus, id est morum unius cuiusque optimam descriptionem; *τὸ πρέπον*[6]) id est decorum unicuique pro aetate, studio, dignitate, vitae ratione tributum — has igitur virtutes etsi in oratione contra Epicratem habita non insignibus exemplis illustrantur, tamen ab ea non abhorrere videbit, qui eam accurate perlegerit. Nec minus invenies oratorem adhibuisse *τὴν πειστικὴν λέξιν καὶ*

---

1) Francken pag. 16. Blass att. Beredtsk. p. 370. Hoelscher de vita et scriptis Lysiae p. 39.

2) Dionys. c. VI. Iure Berbig p. 13 Franckenium vituperat verbis hisce; F. findet es für gut die Composition des Lysias als ärmlich zu beurtheilen.

3) cfr. §o 3, *φύλακες κτλ.* §o 6. *μέρει ἀδικημάτων.* Subita conversio §i 9 *πῶς γάρ κτλ.* etc.

4) Dionys c. 7. Blass p. 385.

5) Dionys cap. 8. Blass p. 386. Francken pag. 1, sq.

6) Dionys cap. 9. Blass 387.

πιθανήν [1]): id est persuasionem non verborum vigore, sed paullatim auditores capientem. Imprimis hoc §us quinta, qua egit de puniendis iis, qui orationis vi inter ceteros excellebant, atque §§i 13—15, ubi amicis reorum minime iudicum aures perorat praebendas esse, ostendunt. Venustatem denique loquendi, *χάριν* [2]), in nostra oratione non desideramus: quamvis sit perbrevis, tamen argumentatio simpliciter et leviter ut rivulus profluit: Bene inducuntur amici pro reis petituri, strenue compellantur in fine iudices, ut Epicratem non solum condamnent sed ei etiam gravissimam poenam imponant. Suavitas quidem loquendi hac in or. XXVII non maxime splendet, sed tamen eam plane abesse non dixerim. Quod prooemio caret oratio, multi in ea haesere interpretes; cum de hac re infra plura dicturi simus, hic modo praemittam, id nemini esse posse scrupulo, si hanc orationem extremam plenioris partem esse putemus. Nec vero desunt in oratione figurae, quas Lysias interdum adhibere adamavit: *ἀντιθέσεις* habes §o 9: *ὥςπερ ὑμεῖς τὰ τούτων μισθοφοροῦντες, ἀλλ' οὐ τούτων τὰ ὑμέτερα κλεπτόντων.* §o 15. *ἡμεῖς οὐκ ἠθελήσαμεν — ἀξιοῦμεν δὲ μηδ' ὑμᾶς.* Utitur orator subiectione *(ὑποφορά)* §o 13, qua inducuntur amici rei per „exceptiones" defensuri Epicratem et contra oratorem ipsum dicentes. Has personas induxit, ut ipse argumenta illorum refutaret iisque caute sermonem praecluderet [3]). *Προσωποποιίαν* adhibitam vides §o 8 *τούτων δὲ τὰ πράγματα κατηγορεῖ* (cfr. Berbig p. 16); *ἐπαναφοράν* §o 4 *τοῦ αὐτοῦ — τῶν αὐτῶν.* *Ἰσόκωλα* invenies in Epicratea sexies usurpata §§is 5, 6, 8, 10, 11, 16 [4]). — Sed haec hactenus. Satis demonstrasse nobis videmur: primum argumenta, quibus nisus Franckenius hanc orationem spuriam iudicaverat, non esse tam gravia, ut orationem a Lysia abiudicare nos cogant; deinde nonnulla in Epicratea inesse, quae generi dicendi, omnino moribus Lysiae plane respondeant.

---

1) Dionys Lys. c. 10 et de Demosth. vi. cap. 2: *Τὸ μὲν βιάσασθαι καὶ προςαναγκάσαι τι τῆς Θουκιδίδου λέξεως ἴδιον· τὸ δὲ ἀπατῆσαι καὶ κλέψαι τὰ πράγματα τῆς Λυσίου.*

2) Dionys. c. 10—12. Blass p. 389. Cic. Brut. 35, 285, 293. Cic. Or. § 29. Quinct. X 1. 78. IX, 4. 17.

3) Hac figura libenter L. utitur cfr. Blass 407 p.

4) cf. Blass p. 456. n. 1.

Quae cum ita sint, facere non possum, quin mihi persuasum habeam, orationem in Epicratem habitam non spuriam, sed Lysiae opusculum esse genuinum.

II.

Quoniam satis demonstrasse nobis videmur hanc in Epicratem orationem esse Lysiacam, statim licet transire ad illam de hac oratione controversiam, cuius auctor exstitit Hamakerus Batavus. Qui vir doctus in libello, qui inscribitur „Quaestiones de nonnullis Lysiae orationibus [1])“ ostendere conatur hanc esse orationem e duobus ac plane diversis fragmentis conglutinatam, quorum alterum incipiat a verbis *Κατηγόρηται μὲν* usque ad *τῶν συμπρεσβευτῶν* pertinens, tum vero interrumpatur secundo fragmento et rursus §o nona a verbis *πῶς γάρ* incipiens omnes, quae sequantur paragraphos complectatur. Alterius igitur fragmenti esse omnia, quae media inter illas partes a se disiunctas posita sint ab *ἐνθυμεῖσθαι* §i primae usque ad *πῶς γάρ* §i nonae proposuit. Prius fragmentum partem orationis in Epicratem eiusque socios habitae esse, posterius vero particulam esse orationis cuiusdam in logistas vel euthynos in magistratus ratione reddenda peroratae contendit. Causae vero quibus adductus Hamakerus illud se statuere posse putat hae fere sunt:

1. Res quae posteriore fragmento continentur ab actione legationis male gestae alienae sunt (pag. 74): nam orationis initio agitur de legatis, deinde orator iudices ut homines, qui malorum civium vindices esse debuerint, severe puniant compellat.

2. Male cohaerent inter sese §i primae verba *Κατηγόρηται μὲν ἱκανά — ἐνθυμεῖσθαι δὲ χρή*. Etenim dicit orator iam satis esse accusatum; nihilo tamen secius accusare pergit.

3. Non minus difficile verba §i nonae *πῶς γάρ κτλ.* cum antecedentibus possunt coniungi, itaque ante *πῶς γάρ* alia quaedam lecta esse Hamakerus suspicatur.

Huic Batavi argumentationi iam Carolus Scheibe adversatus est in libello illo, qui inscribitur: „Vindiciae Lysiacae [2])

1) Lugduni Batav. 1843 pag. 72—76.
2) Lipsiae 1845 pag 94—99.

neque ipse Franckenius populari suo hac in re assentiri potest[1]) Hamakeri coniecturam partim probare rursus conatus est Walter. Parovius[2]) sed parum probabilem, ut demonstrabo, argumentandi rationem instituit. — Sed iam ad ipsam inter Hamakerum ac Scheibium controversiam! Ac primum quidem Scheibius Batavo satis tribuit honoris cum sagacissime illa esse exputata ac conquisita ei largiatur, neque tamen, opinor ad persuadendum validissima sunt. Etenim unumquodque illorum argumentorum labefactari posse videbimus. Ut enim omittam, quae iam Scheibius (p. 96) Hamakero opposuit: utrobique orationis scelus ἀδίκημα et verbo ἀδικεῖν significari, utrobique publicas pecunias reos furatos esse dici, utrobique denique mortem poenam postulari — hoc certe totam illam coniecturam prorsus improbabilem reddit, quod Scheibius obiter iam attigit: Cum iam ne minimam quidem probabilitatem habeat, librarios vel grammaticos orationum partes ita disposuisse neque casu quodam satis mirifico eas esse segregatas verisimile sit, quaeram ex Hamakero, unde ac cur omnino consarcinator, quem statuit, pauca illa verba, quae initio §i primae leguntur, addiderit cum de legatione in reliqua parte illius, quam putat, prioris fragmenti ne verbum quidem inveniatur. Sed quid plura? Theodorus nescio quis interpres verba „τῶν συμπρεσβευτῶν" inscriptioni addidit, cum hoc idem iudicium esse sibi persuaderet, quo Epicratem quondam una cum legationis sociis capitis damnatum esse Demosthenes narrat. Itaque factum est, ut verba τῶν συμπρεσβευτῶν in ipsum orationis exordium irreperent. Quibus e verbis, cum utique sint falsarii, coniectura omnino fieri nequit. Iam vero, etiamsi Hamakero coniecturam rectam esse largiamur, ne conexus quidem satis idoneus intercedit inter κατηγόρηται μὲν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι Ἐπικράτους ἱκανὰ καὶ τῶν συμπρεσβευτῶν atque πῶς γάρ κτλ.; quae verba tamen inter sese cohaerere Batavus putat; sed quae sit inter illa coniunctio nos non edocuit neque, credo, unquam edocere poterit! Omnino tantum abest, ut illa coniectura rerum rationumque conexus melior fiat, ut tota de hac Epicratea quaestio tam contorta ac difficilis fiat, quam vix enu-

1) Commentationes Lysiacae p 202.

2) De orationis quae inter Lysiacas locum obtinet vicesimum forma et auctore. Halis 1869. Diss. inaug.

cleare possimus. Sed etiam singula argumenta Hamakero obstant gravissima. Recte enim Scheibius ut supra monui, omisso *τῶν συμπρεσβευτῶν* verbo neque in priore fragmento — ut vult disponere Hamakerus orationem — neque in posteriore contineri quidquam quod ad legationem aut referri possit aut necessario debeat. Itaque, — id quod iam ostendimus — in *γραφῇ παραπρεσβείας* haec oratio habita esse nequit ideoque corruit primum quod Batavus proposuerat argumentum nec Parovii opera sustineri potest, qui quidem vocabulum *δημαγωγοί* §i decimae male referri „ad homines in iudiciis munus aliquod administrantes“ admonuit (pag. 43). Nam cur hoc nomine orator Epicratem eiusque socios appellare non debuerit, cum etiam Demosthenes eum significet *ἄνδρα σπουδαῖον καὶ ἄλλως δημοτικόν,* equidem non video[1]). An vero *συνδίκους* vel potius *συλλογῆς*, quorum munere Epicratem et socios functos esse credibile est, non inter publicos magistratus referas, quos tamen dedeceat nomen *δημαγωγοί*? Nec plus valet, quod Parovius de verbis illis suspectis *τῶν συμπρεσβευτῶν* et de usu nominis Epicratis hariolatur ita ut refutatione vix indigeat. Vereor enim ne Parovius ineptius, quam cautius Hamakeri partes defendat.

Quod vero Hamakerus in §o prima conexum desiderat inter verba *κατηγόρηται μὲν ἱκανά* et *ἐνθυμεῖσθαι δὲ χρή,* hoc ei opponam: Nexus illius loci, si Scheibii explicationem sequimur, omni caret offendiculo „satis iam accusatum est, sed hoc quoque considerandum eos vobis minatos esse stipendium vos defecturum esse etc.“ — Sed rursus defensor ille Hamakeri exstitit, cum Scheibium errare coarguat minas adversariorum ad hanc ipsam causam pertinere putantem. Colligit enim hoc Parovius e verbis confestim sequentibus: *πολλάκις ἠκούσατε*, quae, si eum recte intellego, non ad hanc causam pertinere vult, immo minime eos refugere ad minas docere paragraphum duodecimam, ubi legatur *κλαίοντες ἐξαιτεῖσθαι κτλ.* Sed quid hoc opus? Primum enim verbis

---

1) Immo rectius Schoellius Quaest. fisc. p. 17: „Quod Ep. a Demosthene praedicatur, contra accusator fraudatorem et quadruplatorem perditissimum depingit, scrupulum nisi fori attici ignaro cuiquam movere poterit, cum opes et auctoritatem hominis in re publica administranda versati i. e. *δημαγωγοῦ* accusatio ipsa quoque diserte confirmet.“

πολλάκις ἠκούσατε iudicibus orator in mentem revocat „reos saepe populum ad bona publicanda adhortatos esse, ne stipendium deficeret, ac tamen ipsos reos publicas pecunias esse furatos.'' Nonne hoc ad rem? Tum si amici popularesve reorum iudices precibus adeunt, quid hoc impedit, quo minus ipsi rei antea minati sint stipendium populo esse defuturum? Omnem in Parovii argumentatione desidero conexum nec quidquam verbis illis paucissimis, quae Scheibio opposuit (p. 43), eum demonstrasse opinor. Si tamen Hamakerus „in hoc malo sententiarum conexu §i 1. sese acquiescere non posse" confitetur, moneo transitum non elegantem quidem sed tamen perspicuum esse; adde quod etiam aliis locis huius orationis, ut §o 4 (ἃ) *καὶ ὑμῖν ἔχω* orator minus eleganter subito ad aliud quidquam se convertit.

Ultimum denique argumentum, quo Hamakerus nisus est, non tam stabile est, quin facile labefactari possit. Etenim Scheibius iure admonet multum falli Hamakerum quod arbitretur in §i nonae verbis *πῶς γάρ κτλ.* causam rationemque atrocis huius poenae constituendae contineri; immo iam antea verbis *τούτων δὲ τὰ μὲν πράγματα κατηγορεῖ, ἡμεῖς δὲ καταμαρτυροῦμεν* causa gravioris illius poenae satis erat exposita. Iam vero *πῶς γάρ κτλ.* verbis additur novum argumentum, cur indigni sint rei, quibus defendentibus iudices aures praebeant: „nam illis non idem curae est, (*οὐδὲ ταὐτὸ συμφέρει* per litoten expressum!) atque omnibus bonis civibus, cum inter bellum gerendum sua ipsorum commoda sequentes e publicis pecuniis divitias iniuste sibi paraverint." Cui explicationi praeter Scheibium assentitur etiam Parovius. Cum igitur supplendum sit illo loco §i nonae post *πῶς γάρ* cum Reiskio ex antecedentibus *δοῖεν ἄν*, neque opus est illa Hamakeri coniectura neque ante *πῶς γάρ* quidquam excidisse verisimile videtur. Sed ne Franckenii quidem explicatio necessaria et simplex satis videtur, qui artificiosius, opinor, hunc conexum intercedere statuit: „Non o p o r t e t eos audire, non „utile vobis; iis enim conduceret causam dicere, sed quae illis „utilia sunt, vobis sunt noxia." Addit igitur haec quasi in superioribus non de iusto (*ἀξίαν δίκην*) sed de utili ageretur. — Vidimus supra intercedere etiam hoc loco inter verba quae antecedunt atque quae deinceps sequuntur bonum sententiarum conexum, concidit igitur illa Hamakeri suspitio Epicrateam e

duobus fragmentis esse conflatam; contrarium[1]) cum Scheibio statuere nobis videmur: „Id quod nobis illius in Epicratem orationis exstat una atque continua pars eius orationis habendum est.“

Sed nuperrime Parovius in dissertatione quam supra commemoravimus de oratione Lysiae XX *ὑπὲρ Πολυστράτου* scripta ut probabile faciat fragmenta Lysiae nonnumquam e diversis fontibus petita et inepte composita esse, nostram orationem eiusmodi exemplum esse declaravit. Neque tamen eadem fragmenta atque Hamakerus statuit, sed ut illius fert opinio, prius fragmentum continetur primis quattuor paragraphis excepto §i primae initio, alterum fragmentum putat reliquas §§os quintam usque ad decimam sextam complecti. Sed hanc suam sententiam tam paucis verbis explicavit et tanta fiducia proposuit quasi nulla fere argumentatione nullisque rationibus indigeat ita quidem, ut nimis audacter in Lysia critice existimando egisse videatur. Nam, quamvis Scheibio assentiatur de illo *πῶς γάρ* neque supplicium et crimen pecuniae clam aversae iam ante §um nonam citari infitietur, tamen quod omnes illi loci, quibus de crimine et poena agatur, inter §um quintam et §um nonam contineantur, in quattuor primis §§is vero nihil eiusmodi reperiatur, constituit „primas illas quattuor §§os a reliquis esse separandas“ ratus his in §§is de crimine *δωροδοκίας* agi neque verisimile esse etiam in his §§is mortis poenam locum habere propter verba §i tertiae *καὶ οὐ νῦν πρῶτον ὤφθησαν ἀδικοῦντες, ἀλλὰ καὶ πρότερον ἤδη δώρων ἐκρίθησαν.* —

Sed ecquis credat haec argumenta ad coniecturam illam temerariam sustentandam posse sufficere? Nam cum primis quattuor §§is orator loquatur de reorum machinationibus ad populum fallendum deque causa aliqua prius contra eos acta, ne locus quidem fuit supplicii commemorandi; iam vero verba *ἀλλὰ καὶ πρότερον ἤδη δώρων ἐκρίθησαν* pertinent ad litem illam priorem, quam Epicrates sociique habuerant corruptionis causa; in *γραφῇ δωροδοκίας* non semper supplicium constitutum fuisse, Schoemannus satis verisimile esse enucleavit[2]).

---

1) Scheibius iam partim aliis de causis id tenendum esse, egregie demonstravit Vind. Lysiac. p. 94 sq.

2) Meier u. Schoemann. Attischer Process pag. 352. (Halle 1864).

Minime igitur par erat ex illis verbis §i tertiae *καὶ πρότερον ὤφθησαν* Parovium concludere orationem in duas partes esse dirimendam, praesertim cum bonus sententiarum conexus adsit inter finem §i quartae atque §i quintae initium [1]). Deinde etiam hoc Parovio esse obiciendum puto: Utrobique et in primis quattuor §§is et in sequentibus per totam orationem verbo *οὗτοι* neminem nisi Epicratem sociosque compellari ita, ut orationem in partes diversas disponere vetemur atque Parovii coniecturam quidquam probabilitatis habere prorsus infitiemur. —

III.

Iam accedamus ad extremam quam disceptandam nobis proposuimus quaestionem, utrum haec oratio in Epicratem habita epilogus sit putanda necne?

Orationem Epicrateam, ut nobis in codicibus tradita exstat, non integram esse, sed gravem iacturam olim fecisse primo obtutu elucet; nam si ea, quae orationis supersunt, spectaveris, multa certe invenies obscura, deficientem aptum conexum nonnusquam animadvertes, sed tamen locos bonos et insignes inesse non infitiabere. Quibus causis permoti omnes et editores et interpretes, imprimis vero Hoelschoerus [2]), Franckenius, Blassius, Scheibius, Hamakerus illam esse *δευτερολογίαν* vel *ἐπίλογον* statuerunt; nec Blassium nuperrime mutasse sententiam suam edocet me illud iudicium de Schoellii opusculo de syndicis et syllogis latum [3]), ubi deuterologiam illam esse orationem professus est. Hoelscherus, qui hac in quaestione tamquam signifer debet nominari, sic

---

1) Postquam commemoravit Epicratem artis dicendi peritissimum priore in causa absolutum esse, aptissime pergit: *Καίτοι τοῦτο ἅπαντες ἐπίστασθε, ὅτι οὐχ ὅταν τοὺς μὴ δυναμένους λέγειν κολάζητε κτλ.*

2) De vita et scriptis Lysiae Berol. 1837. p. 110.

3) Annales liter. Ienenses I. p. 15. anno 1874.

argumentatur: „Nostra oratio est epilogus, cuius primariam „quoque orationem Lysias scripsisse videtur, ad eam enim „retulerim, quae Bekkerus Anecd. p. 103, 11 habet: *Καταδιῶξαι· Λυσίας κατὰ Ἐπικράτους*, quae enim exstat oratio „non mutila esse videtur. Qui deuterologiam habuit praesertim Epicratem eiusque collegas accusavit, quod pecunias publicas surripuissent; alia commemoraverat, qui primariam habuerat orationem.“ Equidem ad hanc sententiam non posse me componere profiteor conaborque ostendere non epilogum orationem illam, sed peroratione m primariae esse orationis.

Primus contra Hoelscheri opinionem iam Hamakerus suspitionem movit Epicrateam esse non epilogum; ratus quidem eam, quae superstes est, orationem esse partem ipsius accusationis ad primariam orationem pertinentem et eo potissimum nisus, quod solito ac iusto prooemio careat et nonnulla post verba *ἐνθυμεῖσθαι δὲ* legantur, quae necessario causam ipsam spectare debeant. Scheibius Hamakeri sententiam oppugnans prius illud momentum refutare nequit, nisi quod dicit „semel“ oratorem a prooemii praemittendi consuetudine discessisse, similiter esse conformatum orationis vicesimae primae initium, quam tamen manifesto fragmentum putaverunt Schoellius ac Franckenius[1]); nec non Scheibius[2]) ipse priorem huius orationis partem temporum iniuria interiisse declarat itaque non est, cur miremur orationem XXIam carere prooemio. Blassius[3]) excusat quidem deficiens prooemium in epilogis, sed vide quaeso, quid statuendum sit de reliquis Lysiae orationibus, quae cum veterum additamento *ΕΠΙΛΟΓΟΣ* traditae sunt. Epilogi igitur citantur praeter nostram et or. XXI: oratio duodevicesima „*περὶ δημεύσεως τῶν τοῦ Νικίου ἀδελφοῦ . . . ἐπίλογος* inscripta, quae caret quidem prooemio, sed ne hic quidem satis constat utrum epilogus sit necne[4]). Deinde sequitur oratio XXVIII *κατὰ Ἐργοκλέους ἐπίλογος* nominata, cuius in initio orator de multitudine accusationum in Ergoclem collatarum breviter praefatur; oratio denique undetricesima titulo *κατὰ Φιλοκράτους*

---

1) Schoell. pag. 11. Quaest. fisc. Francken. l. c. pag. 19.
2) Editio Lysiae novissima Lipsiae 1872 pag. 83 praefationis.
3) Att. Beredtsk. p. 447.
4) Scheibe. Vind Lys. p. 90. Hamaker p. 67. Schoell. p. 11.

ἐπίλογος denotata continet sententiam prooemio — quamvis brevi — accommodatam: *Ὁ μὲν ἀγὼν οὗτος κτλ.* — Cum igitur nondum satis constet, utrum prooemium in epilogis necessarium sit necne, ex eo, quod oratio prooemio careat, minime eam *ἐπίλογον* esse colligi potest, immo si ad deficiens prooemium aliae quoque causae accedunt, quin oratio epilogus sit, iure potest dubitari. Quas causas in Epicratea multas adesse demonstrabo:

Verba, quae in inscriptione leguntur *ἐπίλογος ὡς Θεόδωρος* rhetoris vel grammatici posteriorum temporum additamentum utique suspecta ac ne flocci facienda esse[1]) — in eo opinor omnes mecum consentire viros doctos. Quae cum ita sint, iudicium, quod de hac Epicratea oratione constituturi sumus, prorsus integrum est. Oratio, quam superstitem habemus, brevior quam par est videtur, pleniorem quondam eam fuisse suspicor e verbo illo *καταδιῶξαι,* quod grammaticus in Bekkeri Anecdotis e Lysiae in Epicratem oratione citavit, sed non iam exstat in ea orationis parte, quae a temporum iniuriis nobis servata est. Hoelscherum vidimus illud verbum referre Scheibio probante ad primariam quandam Lysiae orationem in Epicratem scriptam. Sed, opinor, si ad probabilitatis calculos res revocanda est, multo verisimilius est, hoc verbum in ipsa nostra oratione fuisse scriptum — atque in priore eius parte, quam nos amisisse dolemus — quam duas in Epicratem fuisse orationes et in altera quidem illud vocabulum lectum fuisse! Adde alterum argumentum, cur Epicrateam non epilogum esse putem, quod iam Hamakerus obiter attigit, est autem multo maioris ad persuadendum momenti: Cum enim oratoris sit consuetudo in epilogis vitam reorum vel alias extra ipsam causam res illustrare, in hac oratione tanta crimina tamque gravia momenta accusationis satis verbose exposita insunt, quae necessario ipsam causam spectare atque in ipsa oratione accusatoria acta esse oportet (cfr. Ham. p. 72). Sed opposuit Scheibius: „Nonne illa quae ab actore in superioribus copio-„sius luculentiusque explicata esse debere Hamakerus iudicat, „poterant ab eo qui prior verba fecerat actore in protologia „explicata esse ita, ut is qui illum excepit orator haec sub-

1) Quam nulla omnino fides sit titulis orationum Lysiacarum in codice traditis monuit Schoellius l. c. p. 17.

„iudicare et ut iudicibus iam nota quasi in transcurru attingere „satis habuerit?“ Hoc equidem non crediderim! Multo certe statuere simplicius est, illa omnia esse explicata arcte coniunctim ante ipsam illam partem Epicrateae superstitem, quam ab alio oratore atque alia etiam oratione antea habita. Reputa, quaeso, quam multae res rationesque in hac oratione tam sint obscurae, ut nullo modo ne in epilogo quidem orator ita scribere potuerit. Nihil hic valet illud argumentum civibus Atheniensibus rerum forensium peritissimis multa sat clara et perspicua fuisse, quae nos plane effugiant [1]; atque largiamur Scheibio protologiam, quam vult statuere etiam a Lysia conscriptam fuisse — tamen opinor talibus obscuris atque tam ambiguis verbis Lysias orator ne in *δευτερολογίᾳ* quidem uti neque potuit neque debuit — aut Dionysius tam praeclarum de Lysiae perspicuitate iudicium proferre non potuit, nam etiam hac in re Lysiam certum modum *τὸ πρέπον* gnaviter observasse nos edocuit Dionysius [2]. Hoc vero non infitiabere: Si cum nostra oratione orat. XXVIIIam et orat. XXIXam, quae citantur „*ἐπίλογοι*“, contuleris, omnia esse in illis fere perspicua invenies, ut vix de ulla re possis dubitare. Quibus adductus argumentis Epicrateam hanc, ut exstat, epilogum esse nego; immo priore tempore et antiquo potissimum pleniorem maiorisque ambitus fuisse suspicor, temporum autem iniuriis tribuendum esse, quod valde mutilata et amputata exstat. Hanc vero partem, quam superstitem habemus finem totius orationis fuisse habeo persuasum, cum reputaverim etiam orationis vicesimae primae haud aliter atque orationis duodevicesimae nihil superesse nisi partem extremam solam [3]. Aptissimum autem est orationis Epicrateae initium, si transitum fieri statuimus ad perorationem. Quod, si verba *Κατηγόρηται μὲν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, Ἐπικράτους κτλ.* contuleris cum verbis orationis XII, §i 81, ubi incipit peroratio: *Κατηγόρηται δὴ Ἐρατοσθένους κτλ.* satis verisimile esse concedes. Praeterea habes multas res in hac nostra „peroratione“ quae necessario ad ea, quae antea ab oratore exposita sunt respiciunt, en habes

1) Blass. att. Beredtsk. p. 404. Francken p. 17.

2) Dionys. iudicium de Lysia cap. 9. Blass p. 387.

3) Schoell. Quaest. fiscales p. 11.

stilum ita pressum, ut multa paucissimis verbis exprimantur, quae certe, peroratione non statuta, plenius exprimi exspectares. Sed haec hactenus; satis demonstrasse mihi videor orationis in Epicratem habitae id, quod exstat, non epilogum sed peroriationem primariae ac plenioris quidem orationis esse: nihil vero relinquitur nisi ut hoc meum opusculum bonae vestrae, viri doctissimi, indulgentiae commendem. —

VITA.

Ioannes Martinus Hentschel natus sum in Lusatiae Saxonicae oppidulo, quod ‚Pulsnitz' vocatur, Cal. Iun. anni h. s. IL patre Guilelmo, matre Augusta e gente Wolffiana, quibus adhuc vivis ex animo laetor. Fidem profiteor evangelicam. Cum pater anno h. s. LVI Misenam transmigrasset, primis literarum rudimentis in progymnasio huius urbis imbutus anno MDCCCLXIII in scholam provincialem ‚Afraneum', quod tum Frederico Frankio rectore florebat, sum receptus. Commoratum me ibi per sex annos egregia disciplina Fr. Frankii magno Graecarum et Romanarum literarum amore implevit. Anno h. s. LXIX maturitatis testimonio instructus academiam Lipsiensem adii, ut ad philologiae et historiae studium me applicarem. Cum ibi iam per sexies sex menses literarum studiis incubuissem, valetudo morbo affecta, ut octo fere menses ab academia remotus in pago Thuringiae commorarer, me coegit. Corroboratus inde Cal. Mai. anni h. s. LXXIII ad studia denuo colenda Lipsiam reverti. Interfui autem scholis, quas habuerunt viri doctissimi G. Curtius, Ritschelius, Langius, Voigtius, Lipsius, Eckstein, Zarnckius, Drobischius, Wuttkius, Struempellius. Socius fui per bis sex menses so-
tatis philologicae Ritschelii, proseminarii philologici, socie-
ct G. Voigtii historicae, per quinquies sex menses societati
mum sii antiquariae sodalis adscriptus fui nec non semi-
statuimu agogicum Eckstein per ter sex menses soc.
ὦ ἄνδρες Quibus viris omnibus debitas habeo gratias
orationis XII, no habebo. —
Ἐρατοσθένους κτ.
habes multas res in
ad ea, quae antea ab ora

1) Blass. att. Beredtsk. p. 404. Fra
2) Dionys. iudicium de Lysia cap. 9
3) Schoell. Quaest. fiscales p. 11.